S. HIERONYMI
CATALOGUS
SCRIPTORUM EC-
CLESIASTICORUM

CUM SCHOLIIS

AUBERTI MIRÆI,
Bruxellenſis, S.R.E. Protonotarii & Decani
Antwerpienſis.

S. HIERONYMI CATALOGUS SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

HIERONYMUS DEXTRO.

HORTARIS, DEXTER, ut Tranquillum sequens, Ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis gentilium litterarum Viris fecit illustribus, ego in nostris faciam, id est, ut a passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii Imperatoris annum, omnes qui de Scripturis sanctis memoriæ aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, & longè omnium doctissimus Aristoxenus Musicus: apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus. Sed non mea & illorum similis est conditio: illi enim historias veteres annalesque replicantes potuerunt quasi de ingenti prato parvam opusculi sui coronam texere. Ego quid acturus, qui nullum prævium sequens, pessimum (ut dicitur) magistrum memetipsum habeo? Quamquam Eusebius Pamphili, in decem Ecclesiasticæ historiæ libris, maximo nobis adjumento fuerit, & singulorum, de quibus scripturi sumus, volumina ætates auctorum suorum sæpè testentur. Itaque Dominum Jesum Christum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ stetit elo-

quentiæ, non est facere dedignatus in Bruto, oratorum Latinæ lingvæ texens catalogum, id ego in ecclesiæ ejus scriptoribus enumerandis dignè cohortatione tua impleam. Si qui autem de his, qui usque hodie scripserunt, à me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quàm mihi debent imputare. Neque enim celantes scripta sua de his, quæ non legi, nosse potui: & quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt. Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes; discant eorum sectatores, qui putant ecclesiam nullos philosophos & eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti & quales viri eam fundaverint, extruxerint, ornaverint: & desinant fidem nostram rusticæ tantùm simplicitatis arguere, suamq; potius imperitiam agnoscant.

SCHOLIA AUBERTI MIRÆI.

DEXTER.] Librum hunc suum de Scriptoribus ecclesiasticis S. Hieronymus scripsit, hortante *Flavio Lucio Dextro*, Paciani Barcinonensis Episcopi filio, infra cap. 132. laudando ab ipso Hieronymo, cui Dexter amicitia junctissimus fuit. Quod idem ipse Hieronymus Apologia 2. contra Ruffinum tradit. Scripsit autem hunc librum Theodosii Imp. anno decimoquarto (hoc est Christi anno vulgari 392.) ut ipse infra cap. ultimo narrat.

HERMIPPUS] Smyrnæus, Philosophus ex classe Peripateticorum, Callimachi Grammatici discipulus, temporibus Ptolemæi Evergetis vixit, & a Fl. Josepho lib. 1. contra Appionem vocatur diligentissimus circa omnem historiam indagator. Scripsit vitas Virorum eruditione illustrium; a Laërtio & Athenæo variis locis citatas.

ANTIGONUS CARYSTIUS] Ptolemæi Lagi, ejusque successoris Philadelphi temporibus floruit; & Timonis, Polemonis, Antipatri, Menedemi, Zenonis, aliorumque Philosophorum vitas

vitas litteris consignavit; ab Athenæo & Laërtio laudatas. Scripsit & Historiarum mirabilium collectanea, quæ sola ad nos pervenerunt.

SATYRUS] Peripateticus scripsit Virorum illustrium vitas seu historias: quarum post Athenæum lib. 13. & Plutarchum in vitis X. Rhetorum, Ioannes etiam Saresberiensis lib. 5. de Nugis Curialium cap. 17. meminit. Vitarum ejus epitomen concinnavit Heraclides: cujus epitome meminit Laërtius in Pythagora & Zenone Eleate. Sunt qui hunc Satyrum faciunt discipulum Aristotelis; alii longè posteriorem esse volunt.

ARISTOXENUS] Tarentinus, Aristotelis auditor, præter Musica, etiam Historica & Philosophica scripsit; teste Suida. Ex Vitis ab eo consignatis laudantur à Græcis Scriptoribus Vitæ Socratis, Platonis, Architæ, Telesti, Xenophili, & præcipue Pythagoræ: cujus postremæ ex Latinis quoque Gellius l. 4. c. 11. meminit. Aristoxeni libros tres De elementis harmonicis primus luce donavit Ioannes Meursius.

Apud Latinos VARRO.] M. Terentius Varro, patria Romanus, Romanorum omnium doctissimus (cujus de L. L. & R. R. Libros habemus) Elogia & Imagines doctorum Virorum edidit: quod opus *Hebdomades* nuncupavit, & a Plinio l. 3. Hist. nat. c. 11. eximie laudatur. Tito Pomponio Attico perfamiliaris fuit: cui & suos De vita Populi Romani libros inscripsit. Alius ab isto, & quidem posterior, fuit *P. Terentius Varro*, patria Atacinus, ab Atace Narbonensis Galliæ vico sic dictus, qui I. Cæsaris & Triumvirorum temporibus floruit, & ab Hieronymo in Chronico laudatur. Scripsit Sequanici belli libros, Argonautica, & Europam: quorum operum veteres Scriptores varii meminerunt.

SANTRA] Grammaticus a Charisio lib. 1. a Scauro in Orthographia, Festo, Nonio & aliis laudatur; putaturque vixisse Cæsaris & Triumvirorum temporibus.

NEPOS] Cornelius Nepos, Ciceroni perfamiliaris, præter alia scripsit libros De viris illustribus, à Gellio l. 11. c. 8. & aliis laudatos. Ex his XXII. exterarum gentium Imperatores supersunt; falso attributi Æmilio Probo. Atque istis quidem libris Nepos non solùm excellentes Imperatores, sed etiam Scriptores, cùm Græcos tum Latinos, est persecutus. Fragmenta o-

mnia Nepotis Andreas Schottus diligenter collegit, & publicanda curavit. Ex ejusdem Schotti editione constat, libellum de illustribus viris Romanis falsò tribui Nepoti, aut Plinio, aut Suetonio, aut Tacito. Est autem *Sexti Aurelii Victoris*: videtur tamen Victor pleraque ex Nepote desumpsisse. Obiit vero Nepos ævo Augustæo, ut Plinius lib. 9. epist. 39. tradit.

HYGINUS] C. Julius Hyginus seu Higenus, Augusti Imp. libertus, natione Hispanus Ovidio familiaris (ut Suetonius lib. de illustribus Grammaticis tradit) libros aliquot de vita rebusque gestis illustrium virorum conscripsit: ut Gellius lib. 1. cap. 14. & alii testantur. Hodie nihil Hygini supereſt præter poëticum Astronomicon ad M. Fabium, & Fabularum librum. Nam Chomatica, sive de limitibus constituendis, non sunt hujus Hygini, sed alterius, ætate posterioris, qui sub Traiano vixit.

TRANQUILLUS.] Suetonius Tranquillus sub Hadriano Imp. Magister epistolarum fuit: exstantque ad ipsum multæ Plinii epistolæ. Præter deperdita Suetonii scripta, habemus XII. Cæsares, item illustres Grammaticos, & aliquot Rhetores ac Poëtas.

Celsus, *Porphyrius*, *Julianus*] tres perniciosissimi Christianæ religionis hostes. Contra Celsum Origines scripsit libros octo. Porphyrius Aureliani & Probi Impp. temporibus vixit. Julianus, re & cognomento Apostata, anno Christi 363. misere periit.

CATALOGUS SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

CAP. I.

SIMON PETRUS, filius Ioannis, provinciæ Gallilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia & Bythinia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit: ibique viginti quinq; annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum

mum annum Neronis, id est, decimum quartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis: asserens se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus. Scripsit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur: quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter stili cum priore dissonantiam. Sed & evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus & interpres fuit, hujus dicitur. Libri autem, è quibus unus actorum ejus inscribitur, alius evangelii, tertius prædicationis, quartus apocalypseos, quintus judicii, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romæ, in Vaticano juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.

SCHOLIA.

S. Petrus, circa annum Claudii Imp. secundum, Antiochia Romam migravit, & Neronis anno decimo tertio exeunte (hoc est Christi 67.) martyrium fecit.

Propter stili dissonantiam.] Prioris epistolæ, à S. Petro scriptæ, stilum si quis penitus inspiciat, non multùm dissidere à stilo posterioris, facilè animadvertet; atque id etiam Magdeburgenses fatentur. Et verò quàm facilè mutat stilum unus idemque auctor, pro diversitate ætatis, locorum, temporum & personarum? utramque certè Epistolam, & canonicam & S. Petri esse, Ecclesia in Laodiceno, Carthaginiensi III. Florentino & Tridentino conciliis docuit.

CAP. II.

IACOBVS qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, ut nonnulli existimant, Ioseph ex alia uxore, ut mihi autem videtur, Mariæ sororis Matris Domini, cujus Ioannes in libro suo meminit, filius, post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, unam tantum scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est: quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur; licet paulatim tempore

pore procedente obtinuerit auctoritatem. Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, in quinto commentariorum libro, de Iacobo narrans ait: Suscepit Ecclesiam Hierosolymorum post Apostolos frater Domini Iacobus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus fuit, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum: siquidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusque ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum est. Sed & Iosephus in XX. libro Antiquitatum refert, & Clemens in septimo Hypotyposeon, mortuo Festo, qui Iudæam regebat, missum à Nerone esse successorem ejus Albinum: qui cum necdum ad provinciam perveniisset, Ananus inquit, Pontifex adolescens, Anani filius, de genere sacernotali, accepta occasione ἀναρχίας, concilium congregavit, & compellens publicè Iacobum, ut Christum Dei filium negaret, contradicentem lapidari iussit: qui cum præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semivivus, tendens ad cœlum manus diceret: Domine ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste, quo rudia vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit idem Iosephus, tantæ eum sanctitatis fuisse & celebritatis in populo, ut propter ejus necem creditum sit, subversam esse Hierosolymam. Hic est, de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Et Apostolorum super hoc crebrius acta testantur. Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræ-

os

os, & à me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo & Origenes sæpè utitur, post resurrectionem Salvatoris refert: Dominus autem cum dedisset syndonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, quâ biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusq; post paululum: Afferte, ait Dominus, mensam & panem. Statimque additur: Tulit panem, & benedixit ac fregit, & post dedit Jacobo Justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus. Triginta itaque annis Hierosolymis rexit ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum, & juxta templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam è nostris in monte Oliveti eum putaverunt conditum, sed falsa eorum opinio est.

SCHOLIA.

IACOBUS minor, primus Hierosolymorum Episcopus, sedis suæ anno 30. Neronis 7. Christi 61. à Judæis est occisus. *Martyrol Rom.* 1. *Maji.*

Frater Domini] Cur sic dicatur, Bellarminus cap. 34. de Scriptoribus ecclesiasticis, Baronius annali. I. & alii alibi explicarunt,

Quæ de septem Catholicis est.] Id definivit Ecclesia in quatuor Conciliis, superiore capite à me citatis. Idem jam olim docuerunt Origenes, Epiphanius, Athanasius, Innocentius I. Gelasius, Hieronymus, Augustinus, Damascenus, & alii Patres. Quæ porrò de S. Iacobo hîc Hieronymus narrat, ex Hegesippo apud Eusebium l. 2. c. 23. hausit: de quibus vide Petavium in Notis ad Epiphanium, hæresi 78. & Petrum Hallosium to. 2. Scriptorum Ecclesiæ orientalis, in Vita S. Hegesippi.

Septimo Hypotyposeon.] Hypotyposis est, cùm res expressa subjicitur oculis. *Subnotationem* hîc vertunt nonnulli.

Accepta occasione ἀναχείας,] hoc est, acçepta occasione, quòd provincia careret Præside.

Evan-

Evangelium quoque.] Id Nazarenorum appellatur, & subinde ab Hieronymo citatur.

CAP. III.

MAtthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus, primus in Iudæa, propter eos qui ex Circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis litteris verbisq; composuit. Quod quis posteà in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazarenis, qui in Bœrea urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quòd ubicumque Evangelista, sive ex persona sua, sive ex persona Domini Salvatoris, veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur septuaginta Translatorum auctoritatem, sed Hebraicam, è quibus illa duo sunt: Ex Ægypto vocavi filium meum: & Quoniam Nazareus vocabitur.

SCHOLIA.

HEBRAICIS *litteris.*] Id ipsum ante Hieronymum testati sunt Irenæus lib. 3. cap. 1. Eusebius l. 3. Hist. eccles. c. 24. & Epiphanius hæresi 29.

Quis in Græcum transtulerit.] S. Athanasius in Synopsi scribit, à S. Jacobo, fratre Domini, fuisse expositum Evangelium S. Matthæi: sed utrum illa expositio fuerit versio in Græcum, nescitur.

Septuaginta translatorum.] De LXXII. Interpretibus fusè agunt Aristæas in suo de iis libello, Philo lib. 2. de vita Mosis, Iosephus l. 12. Antiq. c. 2. Tertullianus in Apologetico c. 18. Athanasius in Synopsi, Epiphanius lib. de mens. & pond. Augustinus de Civit. Dei l. 18. c. 45. & alii veteres.

Ex Ægypto.] De his copiosius Hieronymus in Libro de optimo genere interpretandi.

CAP.

CAP. IV.

IUdas, frater Iacobi, parvam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque rejicitur: tamen auctoritatem veſtutate jam & uſu meruit, & inter ſacras Scripturas computatur.

SCHOLIA.

Inter ſacras Scripturas.] Patres antiqui Iudæ Epiſtolam pro catholica ſeu canonica paſſim agnoſcunt; & pro tali agnoſcendam definierunt Carthaginienſe, Laodicenum, Romanum ſub Damaſo, Florentinum & Tridentinum concilia.

CAP. V

PAULUS Apoſtolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apoſtolorum, de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giſchalis fuit; quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigravit: à quibus ob ſtudia legis miſſus Hieroſolymam, à Gamaliele, viro doctiſſimo, cujus Lucas meminit, eruditus eſt. Cùm autem interfuiſſet neci martyris Stephani, & acceptis a Pontifice templi epiſtolis ad perſequendos eos, qui Chriſto crediderant, Damaſcum pergeret, revelatione compulſus ad fidem, quæ in Actibus Apoſtolorum ſcribitur, in vas electionis de perſecutore translatus eſt. Cumque primum ad prædicationem ejus Sergius Paulus, Proconſul Cypri, credidiſſet, ab eo, quod eum Chriſti fidei ſubegerat, ſortitus eſt nomen Paulus: & juncto ſibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertens Hieroſolymam, a Petro, Iacobo & Ioanne, gentium Apoſtolus ordinatur. Et quia in Actibus Apoſtolorum plenisſimè de ejus converſione ſcriptum eſt, hoc tantum dicam, quod poſt paſſionem Domini vigeſimo & quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore quo Feſtus Procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mit-

titur, & biennium in libera manens custodia, adversus Iudæos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant Historiæ, Paulum a Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret; sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore quo & passus est, de vinculis dictans epistolam: In prima mea satisfactione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt; non eis imputetur. Dominus autem mihi adfuit, & confortavit me, ut per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis; manifestissimè leonem, propter crudelitatem, Neronem significans. Et in sequentibus: Liberatus sum de ore leonis. Et statim: Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvavit me in regnum suum cœleste: quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem epistola præmiserat: Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo XIV. Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusq; est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimo septimo. Scripsit autem novem ad septem Ecclesias epistolas, ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galathas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas. Prætereà ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito unam, Philemoni unam. Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter stili sermonisque distantiam; sed vel Barnabæ juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangelistæ juxta quosdam, vel Clementis, Romanæ posteà Ecclesiæ Episcopi, quem ajunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone. Vel certè quia

Pau-

Paulus scribebat ad Hebræos, & propter invidiam sui apud eos nominis titulum in principio salutationis amputaverat. Scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio dissertissimè, ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum: & hanc caussam esse, quod a cæteris Pauli epistolis discrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenses; sed ab omnibus exploditur.

SCHOLIA.

Eodem die quo Petrus Romæ.] Eusebius in Chronico, & omnis antiquitas idem testantur.

Epistola ad Hebræos.] Hanc verè canonicam esse, testantur Patres Conciliorum supra nominatorum, & alii.

CAP. VI.

BARNABAS Cyprius, qui & Ioseph levites, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus, unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem Epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur. Hic postea propter Ioannem discipulum, qui Marcus vocabatur, separatus à Paulo, nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercuit.

CAP. VII.

LUCAS Medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus carissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur: cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intel-

ligimus, in eadem urbe librum esse compositum. Igitur περίοδος Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert presbyterum quemdam in Asia, πληξίππην Apostoli Pauli, convictum apud Ioannem, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id de loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit: juxta Evangelium meum, de Lucæ significare volumine: & Lucam non solùm ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed a cæteris Apostolis. Quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Evangelium sicut audierat, scripsit. Acta vero Apostolorum sicut viderat composuit. Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens. Sepultus est Constantinopoli: ad quam urbem, vigesimo Constantii anno, ossa ejus, cum reliquiis Andreæ Apostoli, translata sunt de Achaia.

CAP. VIII.

MARCUS, discipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium: Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit. Et Papias Hierapolitanus Episcopus meminit hujus Marci: & Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone est coëlecta, & Marcus filius meus. Assumpto itaque Evangelio, quod ipse confecerat, perre-

xit

xit ad Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrinæ & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octavo Neronis anno & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

CAP. IX.

IOANNES Apostolus, quem Iesus amavit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollavit, novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam caussam hujus scripturæ ferunt: quod cum legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narravit: sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ videtur Ioannis esse cum cæteris, tollit. Scripsit autem & unam Epistolam, cujus exordium est: Quod fuit ab initio, quod audivimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de

de verbo vitæ: quæ ab universis ecclesiasticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium est: Senior electæ Dominæ, & natis ejus: & sequentis, Senior Cajo carissimo, quem ego diligo in veritate: Ioannis presbyteri asseruntur; cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur: & nonnulli putant duas memorias ejusdem Ioannis Evangelistæ esse: super qua re, cum per ordinem ad Papiam, auditorem ejus, ventum fuerit, differemus. Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano, in Patmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim, quam interpretantur Iustinus martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Pertinace principe redit Ephesum: ibiq; usque ad Traianum principem perseverans, totas Asiæ fundavit rexitq; Ecclesias; & confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est.

CAP. X.

HErmam, cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis fratres sunt, asserunt auctoritatem esse libri, qui appellatur Pastor, & apud quasdam Græciæ ecclesias etiam publice legitur. Reverà utilis liber multiq; de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia, sed apud Latinos pene ignotus est.

SCHOLIA.

Utilis liber:] quis hujus libri auctor habeatur, & quæ noxia contineat, inter alios Bellarminus lib. de Script. eccles. explicat.

CAP.

CAP. XI.

PHILO Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est; non solùm eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse commemorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cujuspiam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper; patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ: quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes. Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quo legatus gentis suæ missus fuerat: cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis. Extant hujus præclara & innumerabilia opera, in quinque libros Moysis: de confusione linguarum liber unus: de natura & inventione liber unus: de his quæ sensu precamur & testamur liber unus: de eruditione liber unus: de hærede divinarum rerum liber unus: de divisione æqualium & contrariorum liber unus: de tribus virtutibus liber unus: Quare quorumdam in scripturis mutata sunt nomina, liber unus: de pactis libri duo: de vita sapientis liber unus: de gigantibus liber unus: Quòd quandoque somnia mittantur a Deo, libri quinque: Quæstionum & solutionum in Exodo libri quinque: de Tabernaculo & Decalogo libri quatuor: nec non de victimis & repromissionibus sive maledictis: de providentia: de Iudæis: de conversatione vitæ: de

Alexandro dicente, quod propriam rationem mutua animalia habeant: & quod omnis insipiens servus sit: & de vita nostrorum, liber unus, de quo suprà diximus, id est, de Apostolicis viris, quem & inscripsit περὶ βίων θεωρητικῶν ἱκετῶν, quod videlicet cœlestia contemplentur, & semper Deum orent: & sub aliis indicibus, de agricultura duo: de ebrietate duo. Sunt & alia ejus monumenta ingenii, quæ in nostras manus non pervenerunt. De hoc vulgo apud Græcos dicitur ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει: id est, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo: tanta est similitudo sensuum, & eloquii.

SCHOLIA.

Exstat, sub nomine hujus Philonis, Historia ab Adamo usque ad Sauli Regis tempora, quam Trithemius appellat de generationis successu. Sed ea nihil Philonis genio dignum habet. Melchiorem Canum lib. 11. de locis Theologicis cap. 6. hac de re differentem lege. Philonis opera Græco-Latina Francofurti & Genevæ typis sunt edita.

Istis addendus est tractatus Philonis de Septenario, seorsum à Davide Hœschelio Græcè, & à Morellio Latinè editus Parisiis.

CAP. XII.

LVCIVS ANNÆVS SENECA Cordubensis, Sotionis Stoici discipulus, & patruus Lucani poëtæ, continentissimæ fuit vitæ: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus cùm esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quam Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est.

Scho-

SCHOLION.

EPISTOLÆ D. Pauli & Senecæ, quæ circumferuntur, non sunt tanti ut memorentur. Ex stilo certè collegi datur, ab uno eodemque homine eas esse confictas: ut Justus Lipsius, meus olim Lovanii doctor, rectè observavit. Senecæ Philosophi opera idē Lipsius, Senecæ autem Rhetoris Andreas Scotthus, commentariis illustravit.

CAP. XIII.

IOSEPHVS Matthathiæ filius, ex Hierosolymis sacerdos, à Vespasiano captus, cum Tito filio ejus relictus est. Hic Romam veniens, septem libros Iudaicæ captivitatis Imperatoribus patri filioque obtulit, qui & Bibliothecæ publicæ traditi sunt: & ob ingenii gloriam, statuam quoque meruit Romæ. Scripsit autem & alios viginti Antiquitatum libros, ab exordio mundi usque ad decimumquartum annum Domitiani Cæsaris, & duos ἀρχαιότητος, adversùm Apionem Grammaticum Alexandrinum: qui sub Caligula legatus missus ex parte gentilium, contra Philonem etiam librum, vituperationem gentis Iudaicæ continentem, scripserat. Alius quoque liber ejus, qui inscribitur περὶ αὐτοκάτορος λογισμοῦ, valde elegans habetur, in quo & Machabæorum digesta sunt martyria. Hic in XVIII. Antiquitatum libro manifestissimè confitetur, propter magnitudinem signorum, Christum à Pharisæis interfectum, & Ioannem Baptistam verè Prophetam fuisse, & propter interfectionem Iacobi Apostoli, dirutam Hierosolymam. Scripsit autem de Domino in hunc modum: Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen virum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de Iudæis, quàm de gentibus, sui habuit sectatores, & credebatur esse Christus. Cumq; invidiâ nostrorum principum, cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus qui eum primùm dilexerant, perseveraverunt. Apparuit e-

nim eis tertiâ die vivens: multa & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus: & usque hodie Christianorum gens, ab hoc sortita vocabulum, non defecit.

SCHOL.

A Vespasiano captus.] Flavius Iosephus, anno Christi 37. Caii Caligulæ primo, natus est: ut ipse in vita sua testatur. Non solùm Historicus, sed & miles, fervente in Syria bello, dux Galilæorum ab Hierosolymitanis creatus, rem fortiter gessit, usque dum, captâ Iotapatâ, anno nati Christi 67. vivus in manus Romanorum venit: ut ipse l. 3. Excidii cap. 17. narrat. Ad Vespasianum adductus, Imperium illi prædixit: ut idem ipse l. 3. de bello Iudaico c. 14. narrat. Cujus rei & Suetonius c. 5. meminit: *Et unus ex nobilibus captivis Iosephus, cùm conduceretur in vincula constantissimè asseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verùm jam Imperatore.* Nimirùm vaticinum propheticum de Messia Rege, quem iis temporibus Iudæi adhuc exspectabant, Vespasiano Iosephus accommodabat: eamque vanissimam interpretationem eventu postea comprobatam fuisse, gentiles putarunt, quibus ignotum erat regnum spirituale, quod per universum orbem habet Salvator noster Christus. Hinc Tacitus lib. 5. Hist. *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.* Similia Svetonius in Vespasiano narrat. Iosephus verò à Vespasiano è carcere dimissus, cum Tito ejus filio ad Hierosolymorum obsidionem profectus fuit. Hoc bello peracto, libros VII. de eo ipso bello Iudaico Græcè scripsit, & Vespasiano ac Tito obtulit, lib. XX. suos antiquitatum Iudaicarum ætatis 56. Domitiani anno XIII. hoc est, Christi circiter 93. absolvit. Illustre apud eum de Christo testimonium lib. 18. habetur; hîc ab Hieronymi, itemque ab Eusebio lib. 1. Hist. c. 11. à Suida, & à Photio cod. 76. citatum: ubi & de stilo Iosephi censuram dat Photius. Vtinam ejus opera cum mss. exemplaribus Græcis, quæ Parisiis in Bibliotheca Regia & alibi exstant, quis conferat, & Notis illustret!

CAP.

CAP. XIV.

IUSTUS TIBERIENSIS, de provincia Galilæa, conatus est & ipse Judaicarum rerum historiam texere, & quosdam commentariolos componere: sed hunc Josephus arguit mendacii. Constat autem illum eo tempore scripsisse, quo & Josephus.

SCHOL.

Justus Tiberiensis seu Tiberiadensis cum Iosepho paulò antè memorato graves inimicitias habuit. Scripsit Iudæorum Regum, qui coronati fuerunt, Chronicon: ut Photius in Bibliotheca cod. 33. prodit. Iusti ejusdem Iosephus in Vita sua, Stephanus in Tiberiade, Svidas & alii meminerunt.

CAP. XV.

CLEMENS, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait: Cum Clemente & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, quartus post Petrum Romanus Episcopus (siquidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem) scripsit ex persona Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valde utilem Epistolam, quæ & nonnullis locis etiam publice legitur: quæ mihi videtur characteri epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire. Sed & multis de eadem epistola non solùm sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur. Omnino grandis in utraque similitudo est. Fertur & secunda ex ejus nomine Epistola, quæ à veteribus reprobatur. Et disputatio Petri & Apionis longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit. Obiit tertio Traiani anno, & nominis ejus memoriam usque hodie Romæ extructa ecclesia custodit.

SCHOL.

De libris, qui S. Clementi Pontifici Romano adscribuntur, Sixtus Senensis in Bibliotheca, Baronius 2. Annali. Bellarminus lib. de Script. eccles. Pererius, Possevinus & alii fusè agunt.

Tertius Anacletus] aliàs *Cletus*. Ex veteri Martyrologio Romano, & variis Scriptoribus antiquis Hollosius tom. 2. in Notis ad vitam S. Irenæi c. 7. contra Baronium probat, Cletum & Anacletum non diversos fuisse Pontifices, sed unicum.

Ad Ecclesiam Corinthiorum.] Prioris hujus Epistolæ, à Clemente ad Corinthios scriptæ, meminit S. Dionysius Corinthiorum, Episcopus, infrà cap. 27. laudandus, apud Eusebium lib. 4. Hist. cap. 22. Sed epistola ista, cum reliquis ejusdem operibus, periit.

CAP. XVI.

IGnatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem Trajano, damnatus ad bestias; Romam vinctus mittitur. Cumq; navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus, Ioannis auditor, Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egrediens scripsit ad Philadelpheos, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem ecclesiam: in qua & de Evangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium dicens: Ego verò & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo quia sit. Et quando venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate me & videte, quia non sum demonium incorporale. Et statim tetigerunt eum & crediderunt. Dignum autem mihi videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, & de epistola ejus, quam ad Romanos scribit, pauca ponere: De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque, ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt: quibus & cum benefeceris, pejores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina est, sed non idcir-

co

co justificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici eas ad comedendum me: ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus meum attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram, ut devorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Passus est anno undecimo Traiani. Reliquiæ corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Daphniticam in cœmeterio.

SCHOL.

Epistolas S. Ignatii, post varias editiones, Martialis Mæstræus, Doctor Th. Parisiensis, Græco-Latinas cum Notis eadem in urbe 1608. publicavit. De iis quid sentiendum, Baronius in gestis an. 34. Bellarminus in Catalogo, Petrus Hallosius tomo 1. Scriptorum Ecclesiæ orientalis, & alii, fusè differunt.

CAP. XVII.

POLYCARPUS, Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smirnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant Dominum, magistros habuerit & viderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit, ubi plurimos credentium, Marcionis & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuito obviam fuisset Marcion, & diceret,

Co-

Cognoscis nos? Respondit, Cognosco primogenitum satanæ. Postea vero regnante Marco Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ, sedente Proconsule & universo populo in amphitheatro adversus eum personante, igni traditus est. Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur.

SCHOLIA.

De Polycarpo Marcionis hæretici congressum detestante, præter Hieronymum; hæc ipsa Eusebius lib. 4. hist. cap. 24. itemq; Irenæus l. 3. c. 3. narrant. Polycarpi porrò ad Philippenses Epistolam Eusebius lib. 4. c. 13. Photius cod. 127. & alii eximiè laudant: exstatque Græco-Latinè edita Parisiis cum Epistolis S. Ignatii Antiocheni, & apud Hallosium tom. 1. Scriptorum Ecclesiæ Orientalis: quorum postremus nonnulla scriptorum Polycarpi fragmenta producit. Est autem martyrio coronatus in Asia circa annum M. Aurelii septimum, hoc est, Christi 167

CAP. XVIII.

PAPIAS Ioannis auditor, Hierapolitanus Episcopus in Asia, quinque tantum scripsit volumina, quæ prænotavit: Explanatio sermonum Domini: in quibus cum se in præfatione asserat, non Varias opiniones sequi, sed Apostolos auctores habere, ait: Considerabam quid Andreas, quid Petrus, dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthæus, vel alius quilibet discipulorum Domini; quid etiam Aristion, & senior Ioannes, discipuli Domini loquebantur. Non enim tantum mihi libri ad legendum prosunt, quantum viva vox, usque hodie in suis auctoribus personans. Ex quo apparet, in ipso catalogo nominum, alium esse Ioannem, qui inter Apostolos ponitur; & alium seniorem Ioannem, quem post Aristionem enumerat. Hoc autem diximus propter superiorem opinionem, quam a plerisque retulimus traditam

tam, duas posteriores epistolas Ioannis non Apostoli esse, sed presbyteri. Hic dicitur mille annorum Iudaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus & Apollinarius, & cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de spe fidelium, & Victorinus Pitabionensis, & Lactantius hac opinione ducuntur.

SCHOL.

Scriptorum S. Papiæ, præter Hieronymum, Irenæus l. 5. c. 33. Eusebius l. 3. c. 30. & 33. & Niceph. Callistus. l. 3. c. 18. & 20. meminerunt. Ex iis fragmenta quædam Græco Latinè Hallosius tom 1. scriptorum Ecclesiæ Orientalis recitat. Ibidem reperies Papiæ opiniones antiquatas; ut & apud Baronium in notis ad Martyrologium 22. Februarii.

Mille annorum.] Victorii (qui S. Hieronymi opera, Pii IV. ævo, cum mss. codicibus contulit, & Notis illustravit) Scholion ad hunc locum videat, qui volet, & Baron. ad Martyrol. 2. Nov.

CAP. XIX.

QUADRATUS Apostolorum discipulus, Publio, Athenarum Episcopo, ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur; & Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregat. Cumque Hadrianus Athenis exegisset hiemem, invisens Eleusinam, & omnibus pene Græciæ Sacris initiatus, dedisset occasionem his, qui Christianos oderant, absq; præcepto Imperatoris vexare credentes: porrexit ei librum pro religione nostra compositum, valde utilem, plenumque rationis & fidei, & Apostolica doctrinadignum: in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait, plurimos a se visos, qui sub Domino variis in Iudæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, & qui a mortuis resurrexerant.

SCHOLIA.

S. QUADRATI Athenensis Episcopi, Apostolorum disci-

puli, fit mentio in Romano Martyrologio, vetere & novo. Ex
26. *Maii.* illius scriptis unicum restat fragmentum, quod lib. 4. hist. cap. 3. Eusebius, ex ejusdem ad Hadrianum Apologia pro Christianis, recitat.

Eleusina]vel Eleusinia sacra, sic dicta sunt ab Eleusine oppido Atticæ, in quo ea celebrari solebant, in honorem Cereris, ob allatas ab ea fruges, & vitam cultiorem introductam. Horum sacrorum Aristotoles, Cicero, Suetonius, Pausanias, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Arnobius & alii veteres, cùm ethnici, tum Christiani, passim meminerunt. De eisdem plura qui volet, Petri Castellani doctum syntagma de festis Græcorum, Antverpiæ 1617. editum, legat.

CAP. XX.

ARISTIDES Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen, noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo & Quadratus, Hadriano Principi dedit, id eſt, Apologeticum pro Chriſtianis: quod usque hodie perſeuerans apud Philologos ingenii ejus indicium eſt.

SCHOL.

S. ARISTIDIS memoria celebratur in vetere & novo Mar-
31. *Aug.* 3. *Oct.* tyrologio Romano. Ejusdem meminit Euſebius in Chronico & Hiſtoriæ lib. 4. c. 3. & 5. itemque Hieronymus epiſt. 84. ad Magnum Oratorem.

CAP. XXI

AGRIPPA, cognomento Caſtor, vir valde doctus, adverſum viginti quatuor Baſilidis hæretici volumina, quæ in Evangelium confecerat, fortiſſime diſſeruit, prodens ejus univerſa myſteria, & prophetas enumerans, Barcaban & Marcob, & ad terrorem audientium alia quædam barbara nomina & Deum ejus maximum Abraxas, qui quaſi annum continens, juxta Græcorum numerum, ſupputetur. Mortuus eſt autem Baſilides, a quo Gnoſtici in Alexandria, temporibus Hadriani: qua

qua tempestate & Chochibus, dux Iudaicæ factionis, Christianos variis suppliciis enecavit.

SCHOLIA.

AGRIPPA CASTOR sub Hadriano contra Basilidem scripsit: sed librorum ejus nihil supereſt. Illorum Eusebius lib. 4. Hist. eccles. cap. 7. meminit.

Abraxas.] Ioannes Macarius, Arienſis in Arteſia Canonicus, noſter olim Amicus, Græce Latineq; doctiſſimus, ſcripſit Disquiſitionem antiquariam de gemmis Baſilidianis, cui titulus *Abraxas* ſeu *Apiſtopiſtus*. Exſtat ms. Lovanii in Trilingui collegio, & Tornaci in bibliotheca Winghiana, quæ nunc eſt baſilicæ cathedralis.

CAP. XXII.

HEGESIPPUS, vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes a paſſione Domini, uſque ad ſuam ætatem, Eccleſiaſticorum Actuum texens hiſtorias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit ſermone ſimplici, utquorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Aſſerit ſe veniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus fuit, & perſeveraſſe uſque ad Eleutherum ejuſdem urbis Epiſcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Præterea adversum Idola diſputans, ex quo primum errore creviſſent, ſubtexit hiſtoriam, ex qua oſtendit, qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templaque fecerunt: ſicut uſque hodie videmus: e quibus eſt & Antinous ſervus Hadriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum civitatem, quam ex ejus nomine condidit, & ſtatuit prophetas in templo. Antinoum autem in delitiis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur.

SCHOLIA.

Martyr. Roman. 7. April. *S. HEGESIPPVS* sub Aniceto & Eleuthero vixit Romæ (ut Hieronymus hic scribit) hoc est, sub M. Aurelio & Commodo Imperatoribus. Græce scripsit *libros quinque Actuum Ecclesiasticorum.* Quorum quidem librorum non nisi fragmenta quædam apud Eusebium lib. 2. Hist. eccles. cap. 23. supersunt; a Petro Hallosio, tom. 2 Scriptorum Ecclesiæ Orientalis, producta & Notis illustrata. Libri quinti Photius cod. 232. diserte meminit. Ab isto alius, & longe quidem ætate posterior, fuit *Hegesippus* ille vulgaris, quem Renatus Laurentius Berrensis, & Cornelius Gualtherus Gandensis, cum mss. collatum, Notisq; illustratum publicarunt: ut Baronius, Vossius & alii notarunt. Hic certe scriptor non de rebus Ecclesiæ tractat, sed de gestis Iudæorum, a temporibus Machabæotum usque ad urbis Hierosolymitanæ excidium, & Iosephi vestigiis insistit. Item lib. 3. cap. 5. mentionem facit Constantinopolis, & alibi Antiochiæ, Persis seu Saracenis a Nicephoro Phoca ereptæ: quod anno 968. accidisse Cedrenus tradit. Quare non multo post hæc tempora eum vixisse crediderim. Vt ut sit, Lipsio, in Notis ad lib. 2. hist. Taciti, est scriptor haud spernendus.

Antinous.] Hadriano Imp. in delitiis fuit: in cujus honorem ab eodem urbs est condita, Hadrianopolis post appellata: teste Eusebio in Chron.

CAP. XXIII.

IVSTINVS Philosophus, habitu quoque Philosophorum incedens, de Neapoli urbe Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi plurimum laboravit: in tantum, ut Antonino quoque Pio, & filiis ejus, & Senatui librum contra Gentes scriptum daret, ignominiamque Crucis non erubesceret: & alium librum successoribus ejusdem Antonini. M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Exstat ejus & aliud volumen contra Gentes: ubi de dæmonum quoque natura disputat: & quartum adversus Gentes, cui titulum prænotavit

ἔλεγ-

ἔλεγχος: sed & aliud de Monarchia Dei, & alius liber, quem prænotavit Psalten, & alius de anima. Diaologus contra Iudæos, quem habuit adversus Tryphonem principem Iudæorum; sed & contra Marcionem insignia volumina, quorum Irenæus quoque in quinto adversus hæreses libro meminit; & alius liber contra omnes hæreses; cujus facit mentionem in Apologetico, quem dedit Antonino Pio. Hic cum in urbe Roma haberet τὰς διατριβὰς & Crescentem Cynicum, qui multa adversum Christianos blasphemabat, redargueret gulosum, & mortis dimidum, luxuriæque & libidinum sectatorem, ad extremum studio ejus & insidiis accusatus, quod Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit.

SCHOL.

S. IVSTINVS, Antonino Pio regnante, Apologeticum unum, alterum M. Aurelio & L. Vero imperantibus, edidit; & horum sub initium illustre martyrium fecit. Opera ejus, quæ exstant, Græco-Latina Parisiis 1615. sunt edita. Ex monumentis ab Hieronymo memoratis, liber de Dei monarchia dimidius periit: toti autem interierunt, liber de anima, Psaltes, contra omnes hæreses, & contra Marcionem. Supersunt hodie *Elenchus*, *Paraenesis*, *De monarchia liber dimidius*, *Apologetici duo*, *& Dialogus cum Tryphone*. Deperditorum aut reconditorum librorum ejus fragmenta Græco-Latina non pauca Hollosius lib. cito recitat. *Martyrol Rom. 13. April.*

CAP. XXIIII.

MELITO Asianus, Sardensis Episcopus, librum Imperatori M. Antonino Vero, qui Frontonis Oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit. Scripsit quoque & alia, de quibus ista sunt, quæ subjecimus: De Pascha libros duos: de vita Prophetarum librum unum: de Ecclesia librum unum: de die Dominica librum unum: de sensibus librum unum: de fide librum unum: de plasmate librum unum: de anima & corpore librum unum: de baptismate librum

unum: de veritate librum unum: de generatione Chriſti librum unum: de prophetia ſua librum unum: de philoxenia librum unum; & alium librum qui Clavis inſcribitur: de diabolo librum unum: De Apocalypſi Ioannis librum unum: καὶ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ librum unum: & ἐκλογῶν libros ſex. Hujus elegans & declamatorium ingenium laudans Tertullianus in ſeptem libris, quos ſcripſit adverſus Eccleſiam pro Montano, dicit eum à pleriſq; noſtrorum Prophetam putari.

SCHOLIA.

MELITO Sardium populorum, ſeu Sardis urbis, in Lycia Aſiæ provincia, Epiſcopus M. Antonino Vero imperante, vixit. Præter Hieronymum, ejus opera recenſent Euſebius l. 5. hiſt. c. 25. Honorius c. 25. Thrithemius, Sextus Senenſis, & Bellarminus in Catalogo. Ex iis trium aut quatuor dumtaxat librorum fragmenta ſuperſunt, quæ Græco-Latina citato libro apud Halloſium invenies. Maurolycus & alii nonnulli diem ejus natalem in Faſtos ſacros 1. Aprilis referunt. Liber porro De tranſitu B. Virginis, qui in Bibliotheca veterum PP. exſtat, indignus eſt qui tanto viro tribuatur.

Frontonis.] Frontonem Cornelium ſive Cornelium Frontonem, Oratorem inſignem, diſcipulus M. Antoninus Verus Conſulem creavit; ut poſtea Gratianus Auſonium. Quod ipſe Auſonius in gratiarum actione narrat. Idem Fronto (ut & Theognetus) M. Aurelii, cognomento Philoſophi, quoque præceptor fuit. Vtriusque meminit idem M. Aurelius in libris XII. quos *De ſui ipſius inſtitutione* Græce ſcripſit, quoſque a Caſperio Gevartio, IC. & Archigrammateo Antverpiano, Latine redditos, & perpetuo commentario illuſtratos, avide eruditi exſpectant.

CAP. XXV.

THEOPHILUS, ſextus Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub Imperatore M. Antonino Vero librum contra Marcionem compoſuit, qui usque hodie exſtat. Feruntur ejus & ad Autolicum tria volumina, & contra

tra hæresim Hermogenis liber unus, & alii breves elegantesq; tractatus, ad ædificationem Ecclesiæ pertinentes. Legi sub nomine ejus in Evangelium, & in Proverbia Salomonis commentarios: qui mihi cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere.

SCHOLIA.

S. THEOPHILI Ep. Antiocheni commentarii in IV. Evangelia, & libri tres ad Autolycum, adversus Christianæ religionis calumniatores, exstant tom. 1. Bibliothecæ veterum Patrum.

Qui mihi.] Ne isto scribendi modo quis putet, commentarios istos in Evangelia & Proverbia Theophilo abjudicari, moneo, Hieronymum, in suo ad Matthæum procœmio, meminisse commentariorum hujus Theophili in Matthæum, Hollosium tom. 2. Scriptorum Ecclesiæ Orientalis; si lubet, consule, in vita Theophili cap. 4.

CAP. XXVI.

APOLLINARIVS, Asiæ Hierapolitanus Episcopus, sub Imperatore M. Antonino Vero floruit, cui & insigne volumen pro fide Christianorum dedit. Exstant ejus & alii quinq; adversum Gentes libri, & de veritate duo, & adversum Cataphrygas, tunc primum exortos, cum Priscilla & Maximilla insanis vatibus, incipiente Montano.

SCHOL.

S. CLAVDIVS APOLLINARIS, Hierapoleos in Phrygia, Asiæ provincia, Episcopus, Romani Martyrologii tabulis adscribitur. De ejus scriptis, præter Hieronymum, Eusebius l. 4. Hist. eccl. cap 26. & Photius cod. 14. agunt: sed omnia perierunt. Fragmenta quædam ex Eusebii Historia l. 5. c. 15 & 16. a Ruffino, Nicephoro & Baronio attribuuntur huic Apollinari: an recte, Hallosius libro citato in dubium vocat. Cæterum ab isto Apollinari Hierapolitano longe alius fuit Appollinaris seu *Apollinarius Laodicenus*, infra c. 104. ab Hieronymo memorandus. 8. *Januar.*

CAP.

CAP. XXVII.

DIONYSIUS, Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopus, tantæ eloquentiæ & induſtriæ fuit, ut non ſolum ſuæ civitatis & provinciæ populos, ſed & aliarum urbium & provinciarum epiſcopos epiſtolis erudiret. E quibus eſt una ad Lacedæmonios, alia ad Athenienſes, tertia ad Nicomedienſes, quarta ad Cretenſes, quinta ad Eccleſiam Amaſtrianam, & ad reliquas Ponti Eccleſias, ſexta ad Cnoſſianos, & ad Pinytum ejusdem urbis Epiſcopum, ſeptima ad Romanos, quam ſcripſit ad Soterem Epiſcopum eorum, octava ad Chryſophoram, ſanctam fœminam. Claruit ſub Impp. M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo.

SCHOL.

Hujus S. Dionyſii opera fuſius lib. 4. Hiſtoriæ cap. 22. Euſebius deſcribit. Fragmenta ex eodem Euſebio Halloſius lib. citato recitat.

CAP. XXVIII.

PINYTUS Cretenſis, Cnoſſiæ urbis Epiſcopus, ſcripſit ad Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum valdè elegantem epiſtolam: in qua docet, non ſemper lacte populos nutriendos, ne quaſi parvuli ab ultimo occugentur die, ſed & ſolido veſci debere cibo, ut in ſpiritualem proficiant ſenectutem. Et hic ſub M. Antonino Vero, & L. Aurelio commodo floruit.

SCHOL.

S. PINYTVS Cnoſſi (non autem Gnoſſi) in Creta Epiſcopus nobiliſſimus, S. Dionyſii ſuperiore capite laudati æqualis, ab Euſebio l. 4. Hiſt. c. 20. & 22 itemque in Martyrologio Rom. veteri ac novo laudatur.

10. *Octob.*

CAP. XXIX.

TATIANUS, qui primùm Oratoriam docens, non parvam ſibi ex arte Rhetorica gloriam comparaverat,

rat, Iustini martyris sectator fuit, florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Postea verò inflatus eloquentiæ tumore novam condidit hæresim, quæ ἐγκρατιτῶν dicitur, quam posteà Severus auxit, à quo ejusdem partis hæretici Severiani usque hodie appellantur. Porrò Tatianus infinita scripsit volumina, è quibus unus contra Gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia opera ejus fertur insignis. Et hic sub Imperatore M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruit.

SCHOLIA.

Novam hæresim] Encratitarum, id est, Abstinentium condidit Tatianus Assyrius: ut Eusebius l. 4. hist. c. 28. fuse narrat. Ita porro dicti sunt, quod a matrimonio & quibusdam cibis abstinerent.

Contra Gentes.] Hic liber Tatiani Assyrii exstat tom. 4. Bibliothecæ veterum Patrum, secundæ editionis.

CAP. XXX.

PHILIPPUS, Episcopus Cretensis, hoc est, Urbis Gortynæ, cujus Dionysius in epistola sua meminit, quam scripsit ad ejusdem civitatis ecclesiam, præclarum adversum Marcionem edidit librum, temporibusq; M. Antonini Veri, & L. Aurelii Commodi claruit.

SCHOL.

S. PHILIPPVS Gortynæ in Creta Episcopus ab Eusebio l. 4. Hist. c. 25. & in Martyrologio Romano veteri, item Bedæ & Adonis, memoratur.

CAP. XXXI.

MUSANUS non ignobilis inter eos, qui de ecclesiastico dogmate scripserunt, sub Imperatore M. Antonino Vero confecit librum adversùs quosdam fratres, qui de Ecclesia ad Encratitarum hæresim declinaverant.

SCHOL.

De isto Musani libro Eusebius lib. 4. Hist. ecclesiasticæ cap 27. consuli poterit.

CAP. XXXII.

MODESTUS & ipse sub Imperatore M. Antonino, & L. Aurelio Commodo, adversum Marcionem scripsit librum, qui usq; hodie perseverat. Feruntur sub nomine ejus & alia συγγράμματα, sed ab eruditis quasi ψευδεπίγραφα repudiantur.

SCHOLIA.

Libri a Modesto contra Marcionem scripti & Eusebius lib. 5. Hist. eccles. cap. 25. meminit.

Pseudepigrapha] hoc est, falso inscripta.

CAP. XXXIII.

BARDESANES in Mesopotamia clarus habitus est, qui primum Valentini sectator, deinde confutator, novam hæresim condidit. Ardens ejus à Syris prædicatur ingenium, & in disputatione vehemens. Scripsit infinita adversum omnes penè hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus clarissimus ille & fortissimus liber, quem Marco Antonino de fato tradidit: & multa alia super persecutione volumina, quæ sectatores ejus de Syra lingua verterunt in Græcam. Si autem tanta vis est & fulgor in interpretatione, quantam putamus in sermone proprio.

SCHOL.

De Bardesane hæc & alia Eusebius lib. 4. Hist. cap. ultimo narrat. Epiphanius ex illius libro de Fato multa citat adversus Abdydam astronomum. Porphyrius lib. de abstinentia, ex *Bardesane Babylonio* plurima producit: quem dicit parentum suorum temporibus vixisse, & de Brachmanibus ac Samaneis, Indorum philosophis, quos Græci Gymnosophistas vocant, scripsisse. Bardesanis fragmentum amplum recitat Eusebius lib. 6. præparat Evangelicæ. Notas Fr. Vigeri ibidem lege.

CAP.

CAP. XXXIV.

VICTOR tertius decimus Romanæ urbis Episcopus, super quæstione Paschæ, & alia quædam scribens opuscula, rexit Ecclesiam sub Severo Principe annis decem.

SCHOLIA.

S. VICTOR, natione Afer, Eleutero in dontificatu successit. *Roman.* ut ex Eusebio in Chron. & Hist. lib 1. c. 22. Optato Milevitano l. contra Parmenionem, Augustino epist. 165. & aliis constat. Septimio Severo imperante, an. 201. martyrio coronatus est. *Martyr.* 28. *Iunii.*

CAP. XXXV.

IRENÆUS, Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, à martyribus ejusdem loci, ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum perfert litteras. Posteà jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. Constat autem Polycarpi, cujus supra fecimus mentionem, sacerdotis & martyris, hunc fuisse discipulum. Scripsit quinq; adversus Hæreses libros, & contra gentes volumen breve, & de disciplina aliud, & ad Martianum fratrem de Apostolica prædicatione; & librum variorum tractatuum, & ad Blastum de schismate; & ad Florinum de Monarchia, sive quod Deus non sit conditor malorum, & περὶ τῶν ὀγδοάδων egregium commentarium: in cujus fine significans se Apostolicorum temporum vicinum fuisse, sic subscripsit: Adjuro te, qui transcribis librum istum, per Dominum Jesum Christum, & per glorioſum ejus adventum, quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas, postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplar, unde scripscripsisti, diligentissimè: hanc quoque obtestationem

similiter transferas, ut inveniſti in exemplari. Feruntur ejus & aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum de quæſtione Paſchæ Epiſtolæ: in quibus commonet eum, non facilè debere unitatem collegii ſcindere. Siquidem Victor multos Aſiæ & Orientis Epiſcopos, qui decima quarta Luna cum Iudæis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat. In qua ſententia hi, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus. Floruit maxime ſub Commodo Principe, qui Marco Antonino Vero in Imperium ſucceſſerat.

SCHOLIA

Anno Septimii Severi Imp. decimo (hoc eſt Chriſti 202.) Chronicon Euſebianum gravem in Chriſtianos perſecutionem adſignat. In ea Leonides, Originis pater, Alexandriæ, & Irenæus Lugduni in Gallia, occubuerunt. Irenæi opera ac fragmenta, a Franciſco Feu-ardentio collecta, Notiſque illuſtrata Pariſienſes 1575. & auctius Colonienſes 1596. ediderunt.

De diſciplina aliud] Hieronymus hic fallitur, & qui eum ſecuti ſunt, Honorius, Trithemius, alii. Nam verba Euſebii lib. 5. Hiſtoriæ cap. 25. (unde ſua deſumſit Hieronymus) clara ſunt, & unicum eſſe volumen ſeu librum indicant, non duos. Sic enim habent: *Circumfertur & aliquis ejus liber contra Gentes, breviſſimus ille quidem, maxime tamen neceſſarius. De diſciplina inſcriptus.* Cæterum liber iſte, De diſciplina contra Gentes, non exſtat; ut & alia Irenæi ſcripta pleraque interierunt. Ex omnibus ejus operibus unicum nunc reſtat integrum, quod adverſus hæreſes ſcripſit, libris quinque comprehenſum. Fragmenta quædam librorum perditorum Halloſius tomo 2. Scriptorum Orientalium Græco-Latina edidit.

CAP. XXXVI.

PANTAENUS Stoicæ ſectæ Philoſophus, juxta quamdam veterem in Alexandria conſuetudinem, ubi à Marco Evangeliſta ſemper eccleſiaſtici fuere Doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis tam in Scripturis divinis

nis, quam in seculari litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ Episcopo, mitteretur. Ubi repperit, Bartholomæum de duodecim Apostolis, adventum Domini nostri Iesu Christi juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam, secum retulit. Hujus multi quidem in sanctam Scripturam extant commentarii, sed magis vivâ voce ecclesiis profuit. Docuitque sub Severo principe, & Antonino, cognomento Caracalla.

SCHOLIA.

De tot summi viri scriptis, ab Eusebio l. 5. hist. eccles. c. 10. & Hieronymo hic recitatis, dolendum est, ne fragmentum quidem minimum, verbis ipsius conceptum, supereſſe. Clementis tamen Alexandrini perillustre testimonium hodieque exstat, quod de magistro suo Pantæno, libro 1. stromatum, scripsit. Ejusdem beatam memoriam Alexander Hierosolymorum Episcopus in suis ad Originem litteris celebrat.

Stoicæ sectæ Philosophus.] Illa ætas habuit inter culmina Christianæ religionis, qui a sensibus multis Stoicis non abiverunt, *Arnobium*, *Tertullianum*, *Pantænum*, *& Clementem Alexandrinum*. Hieronymi, sanctioris an doctioris viri sententia est, de tabella & scripto recitanda: *Stoici nostro dogmati in plerisque concordant*: & quod sequitur, occulte ad nostrum dogma & ad pietatem ducunt. Sic fere Lipsius l. 1. c. 17. in Manuductione ad Stoicam Philosophiam.

CAP. XXXVII.

RHODON, genere Asianus, à Tatiano, de quo supra diximus, Romæ in Scripturis eruditus, edidit plurima præcipuumque adversus Marcionem opus, in quo refert, quomodo ipsi quoq; inter se Marcionitæ discrepent: & Apellem senem alium hæreticum à se quondam fuisse conventum, & risui habitum, eo quod Deum, quem coleret, ignorare se diceret. Meminit in eodem

libro, quem scripsit ad Callistionem, Tatiani se Romæ fuisse auditorem. Sed & in Hexaëmeron elegantes tractatus composuit, & adversum Phrygas insigne opus: temporibusque Commodi & Severi floruit.

CAP. XXXIIX.

CLEMENS, Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantæni, de quo supra retulimus, auditor, post ejus mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, & κατηχήσεων magister fuit. Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm de sæcularis litteraturæ instrumento. E quibus illa sunt, στρωματεῖς libri octo: ὑποτυπώσεων libri octo: adversus Gentes liber unus: Pædagogi libri tres: de Pascha liber unus: de jejunio disceptatio: & alius, qui inscribitur, Quisnam divus ille sit, qui salvetur: de obtrectatione liber unus: de canonibus Ecclesiasticis, & adversus eos, qui Iudæorum sequuntur errorem, liber unus, quem propriè Alexandro, Hierosolymorum Episcopo, πρὸς τὸν φώνησε. Meminit autem in Stromatibus suis, voluminis Tatiani adversus Gentes, de quo suprà diximus, & Cassiani cujusdam χρονογραφίας, quod opusculum invenire non potui. Necnon & de Iudæis Aristobulum quemdam & Demetrium & Eupolemum scriptores adversus Gentes refert; qui in similitudinem Iosephi ἀρχαιογονίας Moysi & Iudaicæ gentis asseverent. Exstat Alexandri Hierosolymorum Episcopi, qui cum Narcisso postea rexit Ecclesiam, Epistola super ordinatione Asclepiadis confessoris ad Antiochenses, congratulantis eis, in qua ponit in fine: Hæc vobis domini ac fratres scripta transmisi per Clementem beatum presbyterum, virum illustrem & probatum: quem vos quoque scitis, & nunc plenius recognoscetis, qui cum huc veniſſet

nisset juxta providentiam & visitationem Dei, confirmavit & auxit Domini Ecclesiam. Constat, Originem hujus fuisse discipulum. Floruit autem Severi & Antonini filii ejus, temporibus.

SCHOL.

Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, patria Atheniensis, Pantæni discipulus, & Origenis magister, multa scripsit, quæ Eusebius lib. 5. hist. cap. 11. & hoc loco Hieronymus recensent. Ex ejus operibus exstant solummodo *Pædagogi libri tres*, *Stromatum libri octo*, *& Oratio exhortatoria ad Gentes*; omnia Latine 1612. Parisiis, & anno 1616. Græco-Latine excusa. Vixit sub Imp. Severo: ut ex lib. 1. Stromatum colligi datur. In libris ejus nonnullæ sententiæ occurrunt, quæ errorem sapiunt. Has Bellarminus in libris controversiarum notavit, & ob eas Gelasius I. Papa clementis hujus opuscula inter apocrypha retulit. Vtrum autem sententiæ illæ ab hæreticis insertæ fuerint, an Clementi ut homini exciderint, Bellarminus in Catalogo dicit se ignorare. Cassiodorus lib. 1. Institutionum divinarum memorat Explanationem Clementis Alexandrini in Epistolas canonicas. An sit ea, quæ in Bibliotheca veterum Patrum legitur, idem Bellarminus dubitat.

CAP. XXXIX.

MILTIADES, cujus Rhodon in opere suo, quod adversus Montanum, Priscillam, Maximillamque composuit, recordatur, scripsit contra eosdem volumen præcipuum, & adversus Gentes Iudæosq; libros alios, & Principi illius temporis Apologeticum dedit. Floruit autem M. Antonini Commodi temporibus.

CAP. XL.

APOLLONIUS, vir dissertissimus, scripsit adversus Montanum, Priscillam & Maximillam insigne & longum volumen, in quo asserit Montanum, & insanas vates periisse suspendio: & multa alia, in quibus de Priscilla & Maximilla refert: Si negant eas accepisse munera,

nera, confiteantur non esse Prophetas, qui accipiunt: & mille hoc testibus approbabo. Sed & ex aliis fructibus probantur Prophetæ. Dic mihi, crinem fucat Prophetes? stybio oculos linit? Prophetæ vestibus & gemmis ornantur? Prophetes tabula ludit & tesseris? Propheta fœnus accipit? Respondeant, utrum hoc fieri liceat, an non: meum est approbare, quod fecerint. Dicit in eodem libro, quadragesimum esse annum, usque ad tempus, quo ipse scribebat librum, ex quo hæresis Cataphrygarum habuerit exordium. Tertullianus sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, quæ scripsit πρὸς ἑκτάπους, septimum proprie adversus Apollonium elaboravit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. Floruit autem Apollonius sub Commodo Severoque Principibus.

SCHOLIA.

De Miltiadis & Apollonii scriptis Eusebius hist. lib. 5 cap. 17. & 18. agit. Vterque contra Montanum, itemq; Priscillam & Maximillam scripsit. Momtanus porro, cum Maximilla, suspendio periit.

Crinem fucat Propheta &c.] Priscillam & Maximillam, in fœnas fœminas, his & subsequentibus verbis notat.

CAP. XLI.

SERAPION, undecimo Commodi Imp. anno Antiochiæ Episcopus ordinatus, scripsit Epistolam ad Caricum & Pontium, de hæresi Montani, in qua & hæc addit: Vt autem sciatis falsi hujus dogmatis, id est, novæ prophetiæ ab omni mundo insaniam reprobari, misi vobis Apollinaris beatissimi, qui fuit in Hierapoli Asiæ Episcopus, litteras. Ad Dominum quoque, qui persecutionis tempore ad Iudæos declinaverat, volumen composuit; & alium de Evangelio, quod sub nomine Petri fertur, librum ad Rhossensem Ciliciæ Ecclesiam, quæ in hæresim ejus lectione diverterat. Leguntur & sparsim ejus breves Epistolæ, auctoris sui ἀσκήσει & vitæ congruentes.

CAP.

SCHOLIA.

S. SERAPIONIS Episcopi Antiocheni (qui sub medium secundi sæculi vixit) scripta præter Hieronymum, Eusebius l. 6. hist. cap. 10. enumerat. Ex his duo tantum restant fragmenta; unum e libro *De Evangelio Petri*, alterum ex *Epistola ad Ponticum & Caricum*: quæ ex Eusebio depromta Hallosius tom. 2. recitat. De eodem Serapione agit & Nicephorus Calistus lib. 4. c. 20. & 27.

De Evangelio.] Falsi Evangelii, sub nomine Petri Apostoli, post Serapionem non pauci meminerunt; ut Origenes in cap. 23. Matthæi, Eusebius l. 5. hist. c. 3. & 19. Gelasius dist. 15. cap. Sancta Romana Ecclesia, & alii.

CAP. XLII.

APOLLONIUS, Romanæ urbis Senator, sub Commodo Principe a servo Severo proditus, quod Christianus esset, imperato ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit; & nihilominus sententia Senatus, pro Christo, capite truncatus est; veteri apud eos obtinente lege, absque negatione non dimitti Christianos, qui semel ad eorum judicium pertracti essent.

SCHOLION.

De hoc S. Apollonio, in Martyrologii Romani, veteris & novi, Fastos 18. Aprilis relato, & Eusebius Hist. eccles. l. 5. c. 21. itemq; in Chronico agit.

CAP. XLIII.

THEOPHILUS Cæsareæ Palæstinæ (quæ olim Turris Stratonis vocabatur) Episcopus, sub Severo Principe, adversus eos, qui decimaquarta luna cum Iudæis Pascha faciebant, cum cæteris Episcopis synodicam valde utilem composuit Epistolam.

SCHOLION.

S. THEOPHILVS, Cæsarienſis Episcopus, ætate suppar fuit S. Theophilo Antiocheno, supra c. 25. laudato. Fallitur au-

tem Anastasius Bibliothecarius in Vitis Pontificum, ubi de Victore agit, cum pro Theophilo Cæsarienſi Theophilum Alexandrinum (qui duobus fere sæculis Victore posterior fuit, & a Gennadio Masilienſi in Catalogo cap. 33. memoratur) nominat. Theophili porro Cæsarienſis scripta & Eusebius l. 5. hist, c. 21. & 26. enumerat.

CAP. XLIV.

BAcchylus, Corinthi Episcopus, sub eodem Severo principe clarus habitus, de Pascha ex omnium, qui in Achaia erant, Episcoporum persona, elegantem librum scripsit.

CAP. XLV.

POLYCRATES Ephesiorum Episcopus, cum cæteris Episcopis Asiæ, qui juxta quamdam veterem consvetudinem cum Iudæis decimaquarta luna Pascha celebrabant, scripsit adversus Victorem, Episcopum Romanum, epistolam Synodicam, in qua docet se Apostoli Ioannis, & veterum auctoritatem sequi: de qua hæc pauca excerpsimus: Nos igitur inviolabilem celebramus diem, neque addentes aliquid, neque dementes. Etenim in Asia elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de cælis in majestate sua, & suscitaturus omnes Sanctos, Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ virgines senuerunt: & aliam ejus filiam, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit. Sed & Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, & pontifex ejus, auream laminam in fronte portans, martyr & doctor in Epheso dormivit: & Polycarpus Episcopus & martyr Smyrnæ cubat. Thraseas quoque Episcopus & martyr de Eumenia in eadem Smyrna requiescit. Quid necesse est Sagaris Episcopi & martyris recordari, qui in Laodicea soporatur; & Papirii beati,

& Melitonis in ſancto Spiritu Eunuchi, qui ſemper Domino ſerviens, poſitus eſt in Sardis, & expectat in adventu ejus reſurrectionem? Hi omnes obſervaverunt Paſchæ diem decima quarta luna, ab Evangelica traditione in nullam partem declinantes, & Eccleſiaſticum ſequentes canonem. Ego quoque minimus omnium veſtrum Polycrates, ſecundum doctrinam propinquorum meorum, quos & ſecutus ſum (ſeptem ſiquidem fuerunt propinqui mei Epiſcopi, & ego octavus) ſemper Paſcha celebravi, quando populus Iudæorum azyma faciebat. Itaque, fratres, ſexaginta quinque annos ætatis meæ natus in Domino, & a multis ex toto orbe fratribus eruditus, peragrata omni Scriptura, non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim majores mei: Obedire Deo magis oportet, quam hominibus. Hæc propterea poſui, ut ingenium & auctoritatem viri ex parvo opuſculo demonſtrarem. Floruit temporibus Severi Principis, eadem ætate qua Narciſſus Hieroſolymæ.

SCHOL.

De Bacchylo Corinthiorum, & *Polycrate* Epheſiorum, Epiſcopis Euſebius lib. 5. cap. 22. 34. & 25. conſuli poterit. Polycrates certe Victori Pontifici, ſupra cap. 34. memorato, pro Quartadecimanis vehementer obſtitit.

S. Narciſſus.] Hieroſolymorum Epiſcopus in Martyrologium Romanum, vetus & novum, relatus, ab Euſebio in Chron. & Hiſt. eccleſ. l. 4. c. 19. l. 5. c. 12. l. 6. c. 8. & 9. item a Nicephoro l. 5. c. 9. & 10. ab Epiphanio hæreſi 66. aliiſque laudatur. Errant qui illum cum Narciſſo Gerundenſi Epiſcopo confundunt

CAP. XLVI.

HERACLIUS ſub Commodi Severiq; imperio in Apoſtolum commentarios compoſuit.

CAP. XLVII.

MAXIMUS, sub iisdem Principibus famosam quæstionem insigni volumine ventilavit, unde malum, & quod materia a Deo facta sit.

CAP. XLVIII.

CANDIDUS, regnantibus supra scriptis, in Hexaëmeron pulcherrimos tractatus edidit.

CAP. XLIX.

APION, sub Severo Principe, similiter in Hexaëmeron tractatus fecit.

CAP. L.

SEXTUS, sub Imperatore Severo, librum de resurrectione scripsit.

CAP. LI.

BRABIANUS, sub eodem Principe, edidit quædam opuscula ad Christianum dogma pertinentia.

SCHOL.

Honorius cap 52. & libri mss. eum vocant *Arabianum.*

CAP. LII.

IUDAS de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissime disputavit, & chronographiam superiorum temporum usque ad decimum Severi produxit annnum. In qua erroris arguitur, quod adventum Antichristi circa sua tempora futurum esse dixerit: sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum præsentem mundi minabatur occasum.

SCHOL.

IVDAS Theologus & Historicus de LXX. apud Danielem hebdomadibus fuse disseruit, & chronographiam superiorum temporum usque ad decimum Alexandri Severi Imp. annum (hoc est, Christi 202. vulgarem) perduxit: ut præter Hieronymum Eusebius l. 6. hist. c. 6. Nicephorus l. 1. c. 34. & Honorius c. 53. tradunt.

CAP.

CAP. LIII.

TERTULLIANUS presbyter, nunc demum primus post Victorem & Apollonium Latinorum ponitur, provinciæ Africæ, civitatis Carthaginiensis, patre Centurione proconsulari. Hic acris & vehementis ingenii, sub Severo Principe & Antonino Caracalla maximè floruit, multaq; scripsit volumina: quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani, jam grandis ætatis, notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse dicerer; referreque sibi solitum, numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse: ac sibi crebro dicere, Da magistrum; Tertullianum videlicet significans. Hic cum usque ad mediam ætatem presbyter ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ prophetiæ meminit: specialiter autem adversum Ecclesiam texuit volumina, de pudicitia, de persecutione, de jejuniis, de monogamia, de ecstasi libros sex, & septimum, quem adversum Appollonium composuit. Fertur q; vixisse usque ad decrepitam ætatem & multa, quæ non exstant, opuscula condidisse.

SCHOLIA.

TERTVLLIANVS, primum zelose catholicus seu orthodoxus, postea sub annum Christi 215. in Montani hæresim elapsus, libros aliquot erroribus plenos scripsit: de quibus breuem Bellarmini censuram in Catalogo reperies. Opera ejus, quæ exstant, cum Notis Iac. Pamelii, Latini Latinii & Io. Merceri Parisiis 1608. sunt edita. Post istos & Io. Ludovicus Cerda, S. I. Theologus, scripsit commentatium perpetuum in Tertullianum, 1624. & 1630. eadem in urbe excusum.

Paulum Concordiæ] S. Pauli Eremitæ vitam huic Paulo seni

Concordiæ in Italia agenti, misit Hieronymus: exstatque tom. 1. operum Hieronymi.

Ad Montani dogma.] Augustinum in libro De hæresibus, ad Quod vult Deum hæresi 86. Vincentium Lerinensem in libro adversus hæreses c. 24. & alios consule.

CAP. LIV.

ORIGENES, qui & Adamantius, decimo Severi Pertinacis anno, adversum Christianos persecutione commotâ, à Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus & matre vidua, pauper relinquitur, annos natus circiter decem & septem. Rem enim familiarem ob confessionem Christi fiscus occupaverat. Hic Alexandriæ dispersa Ecclesia, decimo octavo ætatis suæ anno, κατηχήσεων opus aggressus, posteà à Demetrio, ejus urbis Episcopo, in locum Clementis presbyteri confirmatus, per multos annos floruit: & cum jam mediæ esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio ecclesiasticæ epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro, Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis, presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum; qui tanta in eum debachatus est insania, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet. Constat eum, antequam Cæsaream migraret, fuisse Romæ sub Zephyrino Episcopo, & statim Alexandriam reversum, Heraclan presbyterum, qui sub habitu Philosophi perseverabat, adjutorem sibi fecisse κατηχήσεων, qui quidem & post Demetrium Alexandrinam tenuit ecclesiam. Quantæ autem gloriæ fuerit, hinc apparet, quod Firmilianus Cæsareæ Episcopus, cum omni Cappadocia eum invitavit, & diu tenuit, & postea sub occasione sanctorum locorum Palæstinam veniens, diu Cæsareæ in sanctis scripturis

pturis ab eo eruditus eſt. Sed & illud, quod ad Mamæam, matrem Alexandri Imperatoris, religioſam fœminam, rogatus venit Antiochiam & ſummo honore habitus eſt, quodq; ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Chriſtianus fuit, & ad matrem ejus litteras fecit, quæ usque hodie exſtant, quis ignorat? Et quod tantum in Scripturis divinis habuerit ſtudii, ut etiam Hebræam linguam, contra ætatis gentisque ſuæ naturam, ediſceret: & exceptis ſeptuaginta Interpretibus, alias quoque editiones in unum congregaret volumen. Aquilæ ſcilicet Pontici proſelyti, & Theodotionis Hebionei, & Symmachi ejusdem dogmatis, qui in Evangelium quoque κατὰ Ματθαῖον ſcripſit commentarios, de quo & ſuum dogma confirmare conatur. Præterea quintam & ſextam & ſeptimam editionem, quas etiam nos de ejus bibliotheca habemus, miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparavit. Et quia indicem operum ejus in voluminibus Epiſtolarum, quas ad Paulam ſcripſimus, in quadam epiſtola contra Varronis opera conferens poſui, nunc omitto: illud de immortali ejus ingenio non tacens, quod Dialecticam quoque & Geometriam, & Arithmeticam, Muſicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumque Philoſophorum ſectas ita didicit, ut ſtudioſos quoq; ſecularium litterarũ ſectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſusq; ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, ut ſub occaſione ſæcularis litteraturæ in fide Chriſti eos inſtitueret. De crudelitate autem perſecutionis, quæ adverſum Chriſtianos ſub Decio conſurrexit, eò quod in religionem Philippi deſæviret, quem & interfecit, ſuperfluum eſt dicere: cum etiam Fabianus, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, in ipſa occubuerit, & Alexander Babylasque, Hieroſolymorum & Antiochenæ Eccleſiæ Pontifices

tifices, in carcere pro confessione Christi dormierint. Et super Originis statu si quis scire velit, quid actum sit, primùm quidem de epistolis ejus, quæ post persecutionem ad diversos missæ sunt: deinde de sexto Eusebii Cæsariensis ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex voluminibus, poterit liquido cognoscere. Vixit usque ad Gallum & Volusianum, id est, usque ad lxix. ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri: in qua urbe & sepultus est.

SCHOLIA.

Origenes] Alexandrinus, Ægyptius, Leonidis martyris filius, Clementis Alexandrini discipulus, dictus est Adamantius (ob infatigabilem in scribendo legendoque laborem) ab invincibili adamantis vi. Ambrosio Alexandrino, infra ab Hieronymo c. 56. memorando, codices, notarios ac sumptus suppeditante scripsit ad sena librorum millia; ut Epiphanius hæres. 64. tradit: sed plurima perierunt. Quæ supersunt, in duos tomos distributa, Parisiis 1604. & alibi sæpius sunt excusa. Exstant præterea seorsim libri ejus *contra Celsum*, a Davide Hœschelio Græco-Latine, Augustæ Vindelicorum, in 4. editi. Plurima item fragmenta citantur in Catena Græcorum Patrum in S. Lucam, quam Balthasar Corderius, Soc. Jesu Doctor Theologus, Latine reddidit, & typis Plantinianis 1628. publicavit. His annumerantur a quibusdam *Tetrapla*, *Hexapla*, *& Octapla*, Originis labore contexta. *Tetrapla* sunt quatuor editiones Testamenti veteris, LXX. Interpretum, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis. *Hexapla* sunt quatuor illæ editiones, adjunctis duabus Hebraicis, altera literis Hebraicis, altera literis Græcis. *Octapla* sunt editiones sex supra dictæ, adjunctis duabus, sine nomine auctoris, quinta & sexta. Addiditq; ipse Origenes septimam editionem, ex versione LXX. Interpretum emendata, & cum Theodotionis versione collata, additis asteriscis & obeliscis. De his editionibus Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris, ejusq; commentator Petavius, consuli poterunt.

Quamvis autem doctissimus fuerit Origines, deceptus tamen Platonis philosophia in multos errores incidit; ut S. Basilius

lib. de Spiritu sancto cap. 30. Epiphanius hæres. 34. Hieronymus, Augustinus, & alii veteres tradunt. Extat elegans epistola Hieronymi ad Avitum, de cavendis Origenis περὶ ἀρχῶν erroribus. In Synodo V. generali, collatione 8. canone 11. eidem Origini ac scriptis ejus dictum est anathema. Hæc notanda Bellarminus in Catalogo monuit, propter eos qui Originem defendere vel excusare conantur. Quales olim fuerunt, *Eusebius* l. 6. Hist. eccles. & in Apologia pro Origine, quam nomine Pamphili martyris edidit; & *Ruffinus*, qui similiter Apologiam pro Origine scripsit; qualis item nostra patrumque memoria *Ioannes Picus & Gilbertus Genebrardus* extiterunt. Quæ porro vera sint Origenis opera, quæ dubia vel suppositicia, post alios Bellarminus libro citato explicat. Cæterum anno Commodi Imp. sexto (Christi 185.) circiter natus est Origenes; Severi anno decimo (Christi 202.) agebat ætatis 17. annum, quando Leonides, ejus pater martyrium fecit: ut præter Hieronymum Eusebius l. 6. hist. c. 3. & in Chronico narrat. Septimam persecutionem Decio anno circiter 250. movente, ne infanda pateretur, thus idolis immolavit: & Tyrum inde secedens, anno post quinto, ætatis 69. obiit Tyri: ut ex Eusebio l. 7. hist. cap. 1. & Hieronymo epist. 55. colligitur.

Aquila] semi-Iudæus ac semi-Christianus, (quem ad ævum Hadriani Imp. Epiphanius lib. de mensur. & pond. refert) & Symmachus (qui sub Aurelio vixit) Bibliorum interpretes, numerantur inter hæreticos. Ab his non longè abfuit Theodotio: ut Petavius in Animad. ad Epiph. pag. 399. notavit.

In religionem Philippi] M. Iulium Philippum Imp. à S. Pontio (infrà cap. 68. laudando) de sacris Christianis edoctum fuisse, occasione anni V. C. millesimi, cum in capitolio sacrificare Iovi vellet, sunt qui scribunt. Philippo uxor fuit Marcia Otacilla Severa, ex qua Philippum filium Imperii consortem procreavit. Ab Otacilla filium Philippum præceptis similiter Christianis informatum fuisse, iidem narrant. Baronium tom. 2. Annalium, & in Notis ad Rom. Martyrologium 14. Maji consule.

CAP. LV.

AMMONIUS, vir disertus & valdè eruditus in philosophia, eodem tempore Alexandriæ clarus habitus est: qui inter multa ingenii sui & præclara monumenta etiam de consonantia Moysi & Iesu elegans opus composuit, & Evangelicos Canones excogitavit, quos postea secutus est Eusebius Cæsarienſis. Hunc falso accusat Porphyrius, quod ex Christiano ethnicus fuerit, cum constet eum usque ad extremam vitam Christianum perseverasse.

SCHOLIA.

Ammonius] Alexandrinus, Origenis in Philosophia præceptor, falso a Porphyrio accusatus, quasi ad paganismum rediisset; inventor fuit Evangelicorum Canonum: ut Eusebius & Hieronymus testantur. In Bibliotheca veterum Patrum, ipsi attribuitur Harmonia quatuor Evangeliorum, Interprete Orthomaro Luscinio. In eadem Bibliotheca exstat alia Harmonia, Tatiano Alexandrino inscripta. Ejus tamen interpres Victor Episcopus Capuanus, in præfatione, dubitat, sitne Tatiani an Ammonii, & rem in dubio relinquit: etsi magis arbitretur Tatiani hunc laborem esse: verum recentiores plerique Ammonio tribuunt. Sic fere Ioannes Molanus, Doctor Theologus Lovanienſis in sua Bibliotheca sacra, quæ apud me exstat manuscripta, typis hactenus non edita. Baronium ad annum 174. & Bellarminum in catalogo consule. Ammonii porro discipulus fuit Plotinus Lycopolitanus: teste Porphyrio in illius vita.

CAP. LVI.

AMBROSIUS primum Marcionites, deinde ab Origene correctus, Ecclesiæ diaconus, & confessionis Dominicæ gloria insignis fuit, cui pro Theoctisto presbytero liber Origenis de Martyrio scribitur. Hujus industria, & sumptu & instantia ad hunc infinita Origenes dictavit volumina. Sed & ipse, quippe ut vir nobilis, non inelegantis ingenii fuit: sicut ejus ad Origenem epistolæ

ſtolæ indicio ſunt. Obiit ante mortem Origenis, & in hoc à plerisq; reprehenditur, quod vir locuples amici ſui ſenis & pauperis moriens non recordatus ſit.

SCHOL.

Ambroſius] Alexandrinæ eccleſiæ diaconus, vir nobilis, dives & eruditus, eſt is, quem hoc libro infra cap. 61. S. Hieronymus tradit ſuo ſumptu notarios ac librarios Origeni præbuiſſe. Quod & Euſebius hiſt. 6. narrat. Photius ſua in Bibliotheca cod. 121. eam laudem S. Hippolyto Epiſcopo Portuenſi tribuit. Ambroſius itaque id fecit æmulatione S. Hippolyti : ut infra cap. 61. Hieronymus narrat.

CAP. LVII.

TRYPHON Origenis auditor, ad quem nonnullæ ejus exſtant epiſtolæ, in Scripturis eruditiſſimus fuit. Quod quidem & multa ejus ſparſim oſtendunt opuſcula: ſed præcipuè liber, quem compoſuit de vacca rufa in Deuteronomio, & de Dichotomematibus, quæ cum columba & turture Abraham ponuntur in Geneſi.

SCHOL.

Dichotomema] id eſt, ſectio in duas partes. In has autem Abrahamus victimas ſecuit. Hiſtoria ex Geneſeos cap. 15. notiſſima eſt. De vacca rufa habetur Numerorum cap. 19.

CAP. LIIX.

MINUCIUS FELIX, Romæ inſignis cauſidicus, ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui Octavius inſcribitur. Sed & alius ſub nomine ejus fertur de Fato, vel contra Mathematicos: qui cum ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtilo convenire. Meminit hujus Minucii & Lactantius in libris ſuis.

SCHOL.

Marci Minutii Felicis, cauſidici olim Romani, teſte Lactantio, Dialogus eſt in omnium manibus, qui a principe perſona inducta *Octavius* inſcribitur; falſo hactenus liber octavus Arnobii ha-

bitus: qui, teste Hieronymo, septem dumtaxat libros adversus Gentes plenos eruditionis, reliquit. Minucius porro (si non mole, sed reapse æstimes) magna aliorum pro Christianis vincit volumina, cum rerum copia, tum dictionis venustate.

CAP. LIX.

GAIUS, sub Zephyrino Romanæ urbis Episcopo, id est, sub Antonino Severi filio, disputationem adversum Proculum, Montani sectatorem, valdè insignem habuit; arguens eum temeritatis, super nova prophetia defendenda: & in eodem volumine Epistolas quoq; Pauli, tredecim tantum enumerans, decimam quartam quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus esse: sed & apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur.

SCHOL.

Ad Hebræos.] Vide quæ nos supra cap. 5. pag. diximus, & quæ Marianus Victorius ad hunc locum, Baronius ad annum 69. & Bellarminus tom. 1 Controvers. l. 1. c. 17.

CAP. LX.

BERYLLUS, Arabiæ Bostrenus Episcopus, cum aliquanto tempore gloriose rexisset ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim, quæ Christum ante incarnationem negat, ab Origene correctus, scripsit varia opuscula: & maximè epistolas, in quibus Origeni gratias agit: sed & Origenis ad eum litteræ sunt. Exstat dialogus Origenis & Berylli, in quo hæreseos coarguitur. Claruit autem sub Alexandro, Mamææ filio, & Maximino & Gordiano, qui ei in imperium successerunt.

SCHOL.

Berylli Arabis, Bostrensis Episcopi, meminit & Trithemius lib. de Scriptor. eccles.

CAP. LXI.

HIPPOLYTUS cujusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe urbis scire non potui) rationem Paschæ

schæ temporumque Canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Græci ἑξαιδεκαετηρίδα vocant, reperit: & Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem, decem & novem annorum circulum, id est, ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios, è quibus hos repperi, in ἑξαήμερον, & in exodum, & in Canticum Canticorum, in Genesin, & in Zachariam: De Psalmis, & in Esaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul, de Pythonissa, de Antichristo, de Resurrectione, contra Marcionem, de Pascha, adversum omnes hæreses, & περὶ ὁμιλιῶν, de laude Domini Salvatoris: in qua, præsente Origene, se loqui in ecclesia significat. In hujus æmulationem Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem, in scripturas commentarios scribere, præbens ei septem & eò amplius notarios, eorumque expensas, & his librariorum parem numerum: quodque his majus est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. Unde in quadam epistola ἐργοδιώκτῃ eum Origenes vocat.

SCHOLIA.

S. Hippolytus] martyr, Clementis Alexandrini discipulus, fuit Episcopus Portus Romani. Ejus opera, præter Hieronymum, Eusebius Hist. eccles. l. 6. c. 16. Theodoretus, Honorius cap. 62, Baronius in gestis anni 229. & in notis ad Martyrol. Romanum, aliique enumerant. Inter alia scripsit Canonem Paschalem, cujus nihil præter nomen supererat: cum ecce anno 1551. ex agro Verano, non procul ab æde S. Laurentii ad urbem, effossa prodiit antiqua è marmore statua, solio insidens, Græcis utrimque litteris inscripta. Litteræ in binis cathedræ laterculis Cyclos Paschales annorum XVI. exhibebant; Quartarumdecimarum dextro, Dominicarum Paschalium sinistro, utrosque 112. an-

22. Augusti.

nis universim comprehensos: qua annorum periodo Ferias easdem in orbem redire credidit Hipolytus. Tam illustre ac rarum primitivæ Ecclesiæ monumentum Marcello Cervino, tunc S.R.E. Cardinali, postea ejusdem nominis Papæ II. dignissimum visum est, quod Romam inde deferretur, & in Vaticana Bibliotheca conderetur. Edidit deinde Græcè, ut erat, cum antiquis suis inscriptionibus Ianus Gruterus; Iosephus Scaliger etiam notis illustravit. Ægidius Bucherius, amicus noster, latine fideliter redditum erudito commentario explicavit, typisque Plantinianis, cum Victorii Aquitani Canone Paschali, 1633. publicavit.

Exstat præterea S.Hippolyti Homilia de Christo & Antichristo, Græce & Latine; item oratio de consummatione mundi, Homiliæ de Deo trino & uno, & de incarnatione contra hæresim Noëti, interprete Gerardo Vossio, Decano Tungrensi, tom.3. Bibliothecæ patrum. Libellum contra hæreses, & Interpretationem Danielis Photius cod. 121. & 202. memorat. Possevinus in Apparatu suo meminit Demonstrationis contra Iudæos.

Notarios] vocat, qui dictantis verba veloci manu excipiebant, & per notas interdum scribebant; Librarios autem, qui sic descripta accuratius postea libris commendabant.

Ἐγοδιώκτλω] id est, operis impulsorem & instigatorem.

CAP. LXII.

ALEXANDER, Episcopus Cappadociæ, cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus ejusdem urbis jam senex regeret Ecclesiam; & Narcisso & multis clericis ejus revelatum est, alterâ die manè intrare Episcopum, qui adjutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ita completa, ut prædicta fuerat cunctis, in Palæstina Episcopis in unum congregatis, adnitente quoque ipso vel maxime Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Hic in fine cujusdam Epistolæ, quam scribit ad Antinoitas super pace Ecclesiæ ait: Salutat vos Narcissus, qui ante me hic tenuit Episcopalem lo-

Iocum, & nunc mecum eumdem orationibus regit, annos natus circiter centum ſedecim, & vos mecum precatur ut unum idemque ſapiatis. Scripſit & aliam ad Antiochenſes, per Clementem presbyterum Alexandriæ, de quo ſupra diximus: necnon ad Origenem, & pro Origene contra Demetrium; eo quod juxta teſtimonium Demetrii eum presbyterum conſtituerit. Sed & aliæ ejus ad diverſos feruntur Epiſtolæ. Septima autem perſecutione ſub Decio, quo tempore Babylas Antiochiæ paſſus eſt, ductus Cœſaream, & clauſus in carcere, ob confeſſionem Chriſti, martyrio coronatur.

SCHOL.

Hujus *S. Alexandri* Epiſcopi & martyris memoriam celebrant, 18. Martii, Martyrologium Romanum, vetus ac novum, Beda Uſuardus & Ado; Græci autem in Menologio 15. Maji. Res ejus geſtas Euſebius hiſt. l. 6. c. 7. 8. & 32. itemque Nicephorus l. 5. c. 9. & 10. proſequuntur.

CAP. LXIII.

JULIUS AFRICANUS, cujus quinque de temporibus exſtant volumina, ſub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat, legationem pro inſtauratione urbis Emmaus ſuſcepit, quæ poſtea Nicopolis appellata eſt. Hujus eſt epiſtola ad Origenem ſuper quæſtione Suſannæ: eò quod dicat in Hebræo hanc fabulam non haberi, nec convenire cum Hebraica etymologia ὑπὸ τῆς σχίνης σχίσαι, καὶ ὑπὸ τῆς πρίνης πρίσαι, contra quem doctam epiſtolam ſcribit Origenes. Exſtat ejus ad Ariſtidem altera epiſtola, in qua ſuper διαφωνία, quæ videtur eſſe in genealogia Salvatoris apud Matthæum & Lucam, pleniſſimè diſputat.

SCHOLIA.

JULIUS Africanus] ſcriptor nobilis, ex Chriſtianis primus Chronicon ſcripſit: quod ab orbe condito uſq; ad Gratum & Seleucum Conſu-

Consules (hoc est, usque ad vulgarem 221. Christi annum) se perduxisse scribit. Ex ego integras etiam paginas in suum Chronicon Eusebius transtulit, quas primus Græce Ios. Scaliger publicavit, ideoque Eusebii Chronicon is vocat Africani Chronicon recoctum. Chronici hujus, ut & aliorum Africani operum, quæ Hieronymus hic recenset, Photius quoque in Bibliotheca cod. 3. meminit: additq; eundem Africanum libros Cestorum scripsisse. Cum Photio Eusebius l. 6. hist. c. 23. consentit: ubi & inter alia Africani scripta recenset epistolam De genealogia Christi quam & Augustinus lib. 2. Retract. cap. 7. citat. Cestorum porro libros novem ab Africano scriptos fuisse, idem Eusebius lib. 1. Chronicorum tradit; Photius autem quatuordecim. Cestorum porro nomen vel a Deæ illius fabulosæ baltheo, vel a pugilum armis sumptum videtur. Quo titulo & *Celsus*, in quem stili acumen Origenes strinxit, sua scripta donavit.

Ἀπὸ τῦ σχίνα σχίσαι.] Daniel cap. 13. dum Susannæ patrocinium sumens, senes judices separatim interrogat, ubinam Susannam cum juvene lenone concubuisse viderint: cum unus sub *σχίνῳ*, id est, lentisco; alter vero sub *πρίνῳ*, hoc est, ilice, se illam vidisse dixisset; alludens ad utramque hanc vocem, & Græcam interponens etymologiam; Dividet, inquit primo, quod est *σχίσαι*; & alteri, Secabit, quod est *πρίσαι*, te Deus, &c. Ac si Latine alicui, qui illam se vidisse dixisset sub ilice, Ilico te perdet Deus, vel si sub malo, Malo te afficiet Deus, intulisset. Ita Marianus Victorius in Scholiis hoc loco. Cæterum Africani epistola ad Origenem de historia Susannæ, cum responso Origenis, exstat inter opera Origenis, Lutetiæ edita.

CAP. LXIIII.

GEMINUS, Antiochenæ Ecclesiæ presbyter, pauca ingenii sui monumenta composuit, florens sub Alexandro Principe & Episcopo urbis suæ Zebenno; eo vel maxime tempore, quo Heraclas Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex ordinatus est.

SCHOLIA.

Alexandro Severo imperante *Geminus* (al. Geminianus) presbyter Antiochenus, & *Hippolytus*, & *Beryllus* Episcopus Arabiæ

biæ Boſtrenus, clari ſcriptores habentur. *Origenes* Alexandriæ clarus habetur. Sic Euſebius in Chronico.

CAP. LXV.

THEODORUS, qui poſtea Gregorius appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudia Græcarum & Latinarum litterarum, de Cappadocia Berytum, & inde Cæſaream Palæſtinæ tranſiit, juncto ſibi fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, hortatus eſt eos ad philoſophiam, in qua paulatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque ſectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem, è quibus Theodorus proficiſcens, πανηγυρικὸν εὐχαριστίας ſcripſit Origeni: & convocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente, recitavit, qui usq; hodie exſtat. Scripſit & μετάφρασιν in Eccleſiaſten, brevem quidem, ſed valdè utilem. Et aliæ hujus vulgo feruntur epiſtolæ, ſed præcipue ſigna atq; miracula, quæ jam Epiſcopus cum multa Eccleſiarum gloria perpetravit.

SCHOL.

S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus] a varia miraculorum operatione *Thaumaturgus* appellatus, Origenis quidem auditor, cum eſſet adoleſcens, ſed ab illius erroribus immunis, Gallieni Imp. anno 12. (hoc eſt, Chriſti 266.) Antiochenæ priori Synodo contra Paulum Samoſatenum interfuit, teſte Euſebio. Opera ejus, quæ reperiri potuerunt, Gerardus Voſſius, Decanus Tungrenſis, Romæ publicavit; exſtantque Græce & Latine 1622. Pariſiis excuſa. Quid de Sermonibus, aliiſq; tractatibus a Voſſio additis, ſentiendum ſit, Bellarminus lib. de Scriptoribus eccleſ. explicat. Cæterum contra Gentiles ſcribens Thaumaturgus, aliquibns viſus eſt Sabellio arma ſubminiſtrare. Quod S. Baſilius purgat & excuſat epiſt. 64. ad Neocæſarienſes: ut Baroninis in Notis ad Martyrol. Roman. 17. Nov. narrat.

CAP. LXVI.

CORNELIUS, Romanæ urbis Episcopus, ad quem octo Cypriani exstant Epistolæ, scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, de Synodo Romana, Italica, & Africana, & aliam de Novatiano, & de his qui lapsi sunt; tertiam de gestis Synodi; quartam ad eundem Flavianum valdè prolixam, & Novatianæ hæreseos causas & anathema continentem. Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano; cui ob Christum martyrio coronato successit Lucius.

SCHOL.

Sub annum 250. Decio septimam persecutionem commovente, Fabianus Papa 20. Ianuarii cæsus est. Anno Decii postremo, cum Romana sedes anno amplius vacasset, *Cornelius* est subrogatus. Contra quem *Novatianus*, a paucis suæ partis electus, schisma conflavit. Cui se *Novatus* Episcopus, ex Africa veniens, adjunxit. Cornelius porro, post annos duos ac menses totidem, Romæ passus est, eique Lucius est suffectus. Cæterum S. Cornelii epistola ad Flavianum, non tamen integra, apud Eusebium hist. l. 6. c. 35. exstat: alia ad Lupicinum tom. i. Bibliothecæ veterum patrum legitur; ut & aliæ duæ leguntur inter epistolas S. Cypriani.

Ad Flavianum.] Quis & quantus vir fuerit Flavianus, quotque persecutionum procellis exagitatus fuerit, ex Chalcedonensi & Ephesino conciliis constat.

CAP. LXVII.

CYPRIANUS Afer, primum gloriose Rhetoricam docuit, exinde svadente presbytero Cæcilio, a quo & cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit, ac post non multum temporis electus in presbyterum, etiam Episcopus Carthaginiensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera. Passus est sub Valeriano & Galieno Principibus, per-

persecutione octavâ, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.

SCHOL.

S. Cæcilius Cyprianus] Carthaginiensis in Africa Episcopus, Philippo Augusto III. & ejus filio Cæsare II. Consulibus (hoc est, anno Christi 248.) creatus est. Nam scribit in epist. 55. post quatuor annos, quàm sedere cœpit, in Africa ortum esse schisma Felicissimi, sub ipsum pontificatus Cornelii exordium: quod anno Christi 251. congruit. Idem Cyprianus Valeriano IV. & Gallieno III. Consulibus (id est, Christi anno 257.) in exilium pulsus, sequenti anno 258. martyrium fecit: ut ex Actis passionis ejusdem datur intelligi. Cypriani opera Jacobus Pamelius recensuit, scholiisq; illustravit, Antverpiæ 1568. & 1589. item Parisiis 1574. & 1616. edita. 14. *Sept.*

CAP. LXIIX.

PONTIUS, diaconus Cypriani, usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vitæ & passionis Cypriani reliquit.

SCHOL.

S. Pontius. Carthaginiensis diaconus, de S. Cypriani martyrio insignem librum scripsit, à Pamelio inter Prolegomena Cyprianæa editum. Nomen ejus Martyrologio Rom. 8. Martii est adscriptum: estque alius a S. Pontio martyre Gallicano, in idem Martyrologium 14. Maji relato, & supra in Scholiis ad cap. 54. laudato.

CAP. LXIX.

DIONYSIUS, Alexandrinæ urbis Episcopus, sub Heracla scholam κατηχήσεων presbyter tenuit, & Origenis valde insignis auditor fuit. Hic in Cypriani & Africanæ synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis, ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie exstant: & ad Flavianum Antiochenæ urbis Episcopum scripsit de pœnitentia, & ad Romanos per Hippolytum alteram: ad Xystum, qui Stephano successerat, duas epistolas: & ad Philemonem & ad Dionysium, Roma-

Romanæ Eccleſiæ presbyteros, duas Epiſtolas: & ad eumdem Dionyſium, poſtea Romæ Epiſcopum, & ad Novatianum cauſantem, quod invitus Romæ Epiſcopus ordinatus eſſet: cujus Epiſtolæ hoc exordium eſt: Dionyſius Novatiano fratri ſalutem. Si invitus, ut dicis, ordinatus es, probabis, cum volens ſeceſſeris. Eſt ejus ad Dionyſium & ad Didymũ altera epiſtola, & ἑορταστικὴ de paſcha plurimæ, declamatorio ſermone conſcriptæ, & ad Alexandrinam Eccleſiam de exilio: & ad Heraclam in Ægypto Epiſcopum: & alia de Mortalitate, & de Sabbatho, & περὶ γυμνασίε, & ad Hermammonem, & alia de perſecutione Decii: & duo libri adverſum Nepotem Epiſcopum, qui mille annorum corporale regnum ſuis ſcriptis aſſeverat: in quibus & de Apocalypſi Joannis diligentiſſime diſputat: & adverſum Sabellium, & ad Ammonem Beronices Epiſcopum, & ad Teleſphorum, & ad Euphran, & quatuor libri ad Dionyſium Romanæ urbis Epiſcopum, & ad Laodicenſes de pœnitentia: item ad Canonem de pœnitentia, & ad Originem de martyrio; ad Armenios de pœnitentia & de ordine delictorum, de natura ad Timotheum, de tentationibus ad Euphranorem. Ad Baſilidem quoque multæ Epiſtolæ: in quarum una ſe aſſerit, etiam in Eccleſiaſten cœpiſſe ſcribere commentarios. Sed & adverſus Paulum Samoſatenum, ante paucos dies quàm moreretur, inſignis ejus fertur Epiſtola. Moritur xij. Galieni anno.

SCHOL.

S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, ab anno vulgari Chriſti circiter ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo ad ducenteſimum ſexageſimum quartum, ſedem Alexandrinam obtinuit. Euſebius lib. 7. hiſt. c. 28. & hic Hieronymus dicunt ipſum anno duodecimo Gallieni (hoc eſt: Chriſti 266.] obiiſſe. Scripſit varias Epiſtolas, quarum multa & ampla fragmenta apud Euſebium lib.

lib. 6. & 7. hist. leguntur. Alia item fragmenta apud Athanasium exstant. Epistolæ ejusdem contra Paulum Samosatenum, & ad Basilidem, habentur tom. 3 Bibliothecæ Patrum. Peltanus illius Epistolam De Dominica resurrectione & Paschalis jejunii termino, 1580. Ingolstadii, cum Victore Antiocheno, edidit. Canonicas ejusdem Epistolas ex Græco Latinas Gentianus Hervetus reddidit. Fuit autem Dionysus, cum Cypriano Charthaginiensi, in eadem opinione erronea de iterando baptismo hæreticorum. Sed iis Apostolica auctoritate Stephanus Papa restitit.

Adversus Paulum Samosatenum] Antiochenum Episcopum. Is Filii divinitatem oppugnavit; æmulatus *Sabellium*, qui Ptolemaide in Lybia nefarium adversus sanctissimam Trinitatem dogma paulo ante vulgaverat. Contra utrumque hæresiarcham scripsit Dionysius Alexandrinus. At vero contra Sabellium laborans, quibusdam visus est Arianis arma subministrasse. Quod Baronius in Notis ad Martyrol. Romanum 17. Nov. purgat & excusat. *Martyrol. Rom. 17. Decembr.*

CAP. LXX.

NOVATIANUS Romanæ urbis presbyter, adversus Cornelium cathedrã sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Græce dicitur καθαρὸν, dogma constituit, nolens apostatas suspicere pœnitentes. Hujus autor Novatus, Cypriani presbyter, fuit. Scripsit autem de Pascha, de Sabbatho, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Iudaicis, de Instantia, de Attalo, multaque alia, & de Trinitate grande volumen; quasi ἐπτομὴν operis Tertulliani faciens: quod plerique nescientes, Cypriani existimant.

SCHOL.

Fabiano Papa defuncto, anno 251. cum suffectus esset Cornelius, ægre id ferens *Novatianus*, qui a pauciss imis suæ partis hominibus electus fuerat, schisma contra Cornelium conflavit. Novatiano sese adjunxit *Novatus* Episcopus, ex Africa veniens; quem plerique cum Novatiano promiscue habent. De his rebus plura qui volet, Cyprianum epist. 55. & Epiphanium hæres. 59. legat. Vide supra in Cornelio Romano.

CAP. LXXI.

MALCHION diſertiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, quippe qui in eadem urbe Rhetoricam florentiſſime docuerat, adverſum Paulum Samoſatenum, qui Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus dogma Artemonis inſtaurarat, excipientibus notariis diſputavit: qui dlalogus uſque hodie exſtat. Sed & alia grandis epiſtola, ex perſona Synodi, ab eo ſcripta ad Dionyſium & Maximum, Romanæ & Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopos dirigitur. Floruit ſub Claudio & Aureliano.

SCHOL.

Malchionis hujus & Trithemius lib. de Scriptor. eccleſ. meminit.

CAP. LXXII.

ARCHELAVS Epiſcopus Meſopotamiæ, librum diſputationis ſuæ, quam habuit adverſum Manichæum, exeuntem de Perſide, Syro ſermone compoſuit; qui translatus in Græcum habetur a multis. Claruit ſub Imperatore Probo, qui Aureliano & Tacito ſucceſſerat.

SCHOL.

S. ARCHELAVS Caſcaræ in Moſopotamia Epiſcopus, ſanctitate & eruditione florens, Manetis hæreſiarchæ furori ſtrenue ac primus ſe objecit; Probi Imperatoris anno ſecundo, Chriſti 277. quo Manichæorum hæreſis erupit, juxta Euſebium in Chronico. De S. Arhelao pluribus agit S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Cathecheſi 6. & Epiphanius hæreſ. 66. & lib. de menſuris & ponderibus.

CAP. LXXIII.

ANATOLIVS Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, ſub Probo & Caro Imperatoribus floruit, miræ doctrinæ vir fuit in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Cujus

jus ingenii magnitudinem de volumine, quod super Paſcha compoſuit, & decem libris de Arithmeticæ inſtitutionibus, intelligere poſſumus.

SCHOL.

S. Anatolii Canonem Paſchalem Ægidius Bucherius ex veteri codice ms. primus, cum Victorii Aquitani Canone, typis Plantinianis 1633. edidit, & erudito commentario illuſtravit. Floruit Probi Imp. anno ſecundo (qui eſt 277. vulgaris Chriſti epochæ) ut Euſebius in Chronico tradit. Idem lib. 7. Hiſt. eccleſ. cap. 26. Anatolium multis laudibus extollit; ut & Nicephorus lib. 6. cap. 36. Hieronymus in Epiſtola 84. ad Magnum Oratorem, Beda variis locis, & alii.

CAP. LXXIV.

VICTORINVS, Pitabionenſis Epiſcopus, non æque Latine ut Græce noverat. Unde opera ejus grandia ſenſibus, viliora videntur compoſitione verborum. Sunt autem hæc: Commentarii in Geneſim, in Exodum, in Leviticum, in Eſaiam, in Hezechielem, in Habacuc, in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in Apocalypſim Joannis, adverſum omnes hæreſes, & multa alia. Ad extremum martyrio coronatus eſt.

SCHOL.

S. Victorinus] Epiſcopus Pictavienſis (ut diſerte ab Hieronymo in libro contra Heluidium nuncupatur) coronatus eſt martyrio ſub annum Chriſti 303. Diocletiano imperante. Exſtat nomine Victorini commentarius in Apocalypſim: ſed Bellarminus in Catalogo merito dubitat, an is ſit Victorini opus. Scribit enim Hieronymus in Epiſtola commentario Victorini in Apocalypſim præfixa, Victorinum in iſto ſuo commentario ſecutum eſſe errorem Chiliaſtarum aut Millenariorum: quod etiam ſcripſit ſupra cap. 18. ubi de Papia agit. Qua quidem de cauſa & Gelaſius I. Papa Victorini opera inter apocrypha numeravit. At commentarius, qui Victorini nomine nunc circumfertur, non ſolum iſto errore caret, ſed contra hunc errorem etiam pugnat. Millenariorum porro ſententia, uſque ad tempora Damaſi

masi Papæ, absque jactura fidei, vel communionis divisione, libere ferebatur, nec crimini data est Papiæ, Iustino martyri, vel aliis, quo minus inter sanctos & ecclesiasticos viros adscriberentur. At vero, ea damnata sententia, etiam illi faventes scriptiones jure proscriptæ videntur: ut Baronius in Notis ad Romam. Martyrol. 2. Nov. loquitur.

Roman. Martyrol 2. Nov.

CAP. LXXV.

PAMPHILUS presbyter, Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum suâ manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariensi bibliotheca habentur. Sed & in duodecim Prophetas viginti quinque ἐξηγήσεων Origenis volumina, manu ejus exaratâ repperi, quæ tanto amplector & servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est, unam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sangvinis signasse vestigia? Scripsit, antequam Eusebius Cæsariensis scriberet, Apologeticum pro Origine, & passus est Cæsareæ Palæstinæ sub persecutione Maximini.

SCHOL.

S. Pamphilius] Cæsariensis prebyter & martyr, Eusebio Cæsariensi Episcopo & Historiographo contubernalis ac persamiliaris (a quo & cognomentum hic accepit) tabulis Martyrologii Romani, veteris & novi, 1. Iunii, & Græcorum Menologio Nonis Novembris adscriptus legitur. De ejus laudibus Hieronymus epist. 65. ad Pammachium contra Ruffinum, epist. 83. ad Magnum Oratorem, & epist. 191. ad Marcellam, deque ejusdem Bibliotheca variis locis multa narrat: ut Eusebius hist. l. 8. c. 17. & alii.

CAP. LXXVI.

PIERIUS, Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, sub Caro & Diocletiano Principibus, eo tempore quo eam Ec-

Eccleſiam Theonas Epiſcopus regebat, florentiſſime docuit populos, & in tantam ſermonis diverſorumque tractatuum, qui usque hodie exſtant, venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur. Conſtat hunc miræ ἀσκήσεως, & appetitorem voluntariæ paupertatis, ſcientiſſimumque Dialecticæ & Rhetoricæ artis, & poſt perſecutionem omne vitæ ſuæ tempus Romæ fuiſſe verſatum. Hujus eſt longiſſimus tractatus de propheta Oſee, quem in pervigilio Paſchæ habitum, ipſe ſermo demonſtrat.

SCHOL.

Hujus S. Pierii in Martyrologio novo Romano 4. Novembris fit mentio: in veteri vocatur Hierius.

CAP. LXXVII.

LUCIANUS, vir diſertiſſimus, Antiochenæ Eccleſiæ presbyter, tantum in Scripturarum ſtudio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de Fide libelli, & breves ad nonnullos epiſtolæ. Paſſus eſt Nicomediæ ob confeſſionem Chriſti, ſub perſecutione Maximini, ſepultusque Helenopoli Bithyniæ.

SCHOL.

S. Lucianus] Antiochenus presbyter & martyr Nicomediensis, in Rom. Martyrologio, veteri & novo 7. Ianuarii celebratur. Euſebius hiſt. lib. 9. c. 5. & hic Hieronymus dicunt, ipſum ſub Maximino paſſum fuiſſe: cui, utpote illius ætatis ſcriptori, potius credendum exiſtimo, quam Suidæ aut Metaphraſtæ, qui ad Maximiani tempora martyrium ejus referunt. Illius nomine nuncupata eſt verſio Scripturæ ſacræ, quam Græci Communem ſeu Vulgatam dixerunt, eaque Orientalis, inter Conſtantinopolim & Antiochiam habitantes, ſunt uſi. Baronius, in Notis ad Martyrol. Rom. 7. Ianuarii, reliqua dicet. Alius ab iſto fuit *Lucianus* Hieroſolymitanus presbyter, a Gennadio cap. 46. laudandus.

CAP. LXXVIII.

PHILEAS de urbe Ægypti, quæ vocatur Thmuis, nobili genere, & non parvis opibus, susceptο Episcopatu, elegantissimum librum de Martyrum laude composuit: & disputatione actorum habitâ adversum Judicem, qui eum sacrificare cogebat, pro Christo capite truncatur; eodem in Ægypto persecutionis auctore, quo Lucianus Nicomediæ.

CAP. LXXIX.

ARNOBIUS sub Diocletiano Principe Siccæ apud Africam florentissimæ Rhetoricam docuit; scripsitque adversum Gentes, quæ vulgò extant, volumina.

SCHOL.

ARNOBIVS, Siccæ in Africa summa cum laude Rhetoricam docuit, & ex gentili factus Christianus, libros VII. adversus Gentiles sive Ethnicos scripsit: quos cum Notis Theodori Canteri Plantinus, & cum Notis Godescalci Steuvechii Trognesius 1604. Antverpiæ excuderunt. Scripsit anno Vrbis conditæ 1050. ut ex libro 2. datur intelligi: qui annus, ex Varronis calculo, in Christi 297. annum incidit. Commentarii in Psalmos a Trithemio & Erasmo non recte huic Arnobio attribuuntur; sunt tamen alicujus *Arnobii* junioris, sed Pelagianismum sapientis: ut Bartholomæus Petrus Lintrensis, Doctor Th. Duacensis, notavit. De senioris Arnobii scriptis censuram dat Hieronymus in epistolis ad Paulinum & Tranquillinum, & initio sui Chronici. *Conflictus Arnobii & Serapionis* de Deo trino & uno, deque duabus in Christo naturis in uno suppositο, a Feuardentio primum 1596. est editus, cum operibus Irenæi.

CAP. XXC.

FIRMIANUS, qui & LACTANTIUS, Arnobii discipulus, sub Diocletiano Principe accitus cum Flavio Grammatico, cujus de Medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit, & penuriâ discipulorum, ob Græcam videlicet civitatem, ad scribendum se contulit. Habemus ejus Sympositum, quod adole-

adoleſcentulus ſcripſit, ὁδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediam, hexametris ſcriptum verſibus, & alium librum qui inſcribitur Grammaticus, & pulcherrimum de ira DEI, & Inſtitutionum divinarum adverſum gentes libros ſeptem: & ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno acephalo, & ad Aſclepiadem libros duos: De perſecutione librum unum: ad Probum Epiſtolarum libros quatuor: ad Severum epiſtolarum libros duos: ad Demetrianum, auditorem ſuum, epiſtolarum libros duos: ad eumdem de opificio Dei, vel formatione hominis, librum unum. Hic extremâ ſenectute magiſter Cæſaris Criſpi, filii Conſtantini, in Gallia fuit, qui poſtea à patre interfectus eſt.

SCHOLIA.

De Lactantio ſcriptore elegantiſſimo judicium ſuum dat Hieronymus in epiſtola ad Paulinum. De eodem Euſebius ſub finem Chronici narrat, ipſum adeo pauperem fuiſſe, ut plerumque etiam neceſſariis indiguerit. Lactantii porro opera, quæ exſtant, a Michaele Tomaſio illuſtrata, Plantinus 1570. excudit.

Hodoporicon] ſive Itinerarium Lactantii, ab Africa Nicomediam uſque, periit. Ejus loco tribuuntur Lactantio poematia nonnulla, quæ partim ſunt Venantii Fortunati, partim incerti auctoris. Phœnix verò nec hominis eſt Chriſtiani: niſi quis Lactantium, cum adhuc ethnicus eſſet, ſcripſiſſe ſuſpicetur.

Haut abs re fuerit hic ſubnectere brevem *Thomaſii* cenſuram, quam ſuæ editioni Lactanſianæ præfixit: Sicut (inquit) negari non poteſt, errores aliquot in Lactantio inveniri, ita conſtanter affirmo, multos fraude ac dolo hæreticorum in eo eſſe ſuppoſitos, aut aliunde adfixos, ac quaſi coagmentatos. Quis enim veterum umquam Lactantium tanquam Manichæum damnavit? At origo & fons iſtius hæreſeos, non in uno, ſed pluribus in locis, ita adjectus erat, ut non Manichæus, ſed Lactantius ipſe illius erroris auctor fuiſſe videretur. Quæ nos loca, multis collatis antiquiſſimis codicibus, ita emendavimus, ut vix ulla amplius ſuſpicio illius erroris in univerſis libris ſuperſit. De divinitate etiam Filii videtur aliquot in locis obſcurius, quam decebat,

bat, esse locutus; sed cum alibi clarè de ea loquatur, necessario illa obscuriora, ex his quæ aptiora sunt, intelligi debent, atque explicari. Nam quod aliqui hunc auctorem tanquam Arii sectatorem accusant, ferendum nullo modo est; cum ipse ante Arium vixerit & scripserit. Verum cum Ecclesia non uno momento cœperit & adoleverit, sed naturæ humanæ imitatione quamdam quoque pueritiam habuerit; evenit huic aliisque Scriptoribus, qui in prima illa ætate Ecclesiæ vixerunt, quod natura ipsa rerum ferebat, ut non omnia plana explicataque haberent, & in multis, quamvis contra Philosophos graviter doctèque scriberent, eorum tamen errores ac somnia quædam sectarentur. Quod quidem non de Lactantio solum, sed de aliis multis antiquis scriptoribus Hieronymus sapientissimè annotavit.

CAP. XXCI.

EUSEBIUS, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, in Scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ, cum Pamphilo martyre, diligentissimus perveſtigator, edidit infinita volumina. De quibus hæc sunt: εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως libri viginti: εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς libri qvindecim; θεοφανείας libri quinque: ecclesiasticæ historiæ libri decem; Chronicorum Canonum omnimoda historia, & eorum ἐπιτομή: & de Evangeliorum diaphonia: in Esaiam libri decem; & contra Porphyrium, qui eodem tempore scribebat in Sicilia, ut quidam putant, libri triginta; de quibus ad me viginti tantùm pervenerunt; τοπικῶν, liber unus; ἀπολογίας pro Origene libri sex; de vita Pamphili libri tres: de Martyribus alia opuscula: & in centum quinquaginta Psalmos eruditissimi commentarii, & multa alia. Floruit maximè sub Constantino Imperatore & Constantio, & ob amicitiam Pamphili martyris, ab eo cognomentum sortitus est.

SCHOL.

Eusebius Pamphili est dictus, ob amicitiam singularem, quam cum S. Pamphilo martyre, supra cap. 75. laudato, habuit. Sub Con-

Constantino Magno, ejusque filio Constantio vixit, Cæsareæ in Palæstina Episcopus, & anno 340. decessit. Scripsit Chronica à mundi fabrica usque ad Constantini Magni Vicennalia, hoc est vulgarem Christi 326. annum. Horum priorem partem ipse Eusebius *Historiam omnimodam* vocat; alteram *Chronicos Canones*. Georgius Syncellus *Chronicon*, ac frequentius *Canones* appellat. Opere hoc propositum Eusebio fuit monstrare, Mosaicas origines cum initiis omnium dynastiarum, regnorum ac rerumpublicarum, tum natalibus fabulosorum Deorum longè esse antiquiores. Atque ut hoc opere vetustatem doctrinæ Mosaicæ, ita ejusdem ac Christianæ religionis veritatem adversus Philosophos suis *de Præparatione Evangelica* commentariis tuetur. Idem quoque scripsit viginti libros *Demonstrationis Evangelicæ*: quot olim fuisse testantur Hieronymus hoc loco, & Photius in bibliotheca; sed hodie tantum supersunt decem. Arianum fuisse, satis ex istis libris patet: ut & Billius lib. 1. Observationum sacrarum cap. 27. docet. Porro ex libris quindecim *Præparationis Evangelicæ* plenè intelligi datur, Eusebium omnes reseraſſe arcas librarias Philosophorum, Historicorum, Theologorum, non Græcorum modo, sed etiam Ægyptiorum ac Phœnicum. Hos XV. libros *Franciscus Vigerus* Rotomagensis, Soc. Iesu Theologus, ex mss. Græcis Latinè vertit, & Notis à se illustratos Lutetiæ 1628. publicavit. Condidit præterea Eusebius *Historiam Ecclesiasticam* libris decem: in quibus initium capit a nato Christo, & per Tyrannorum tempora accuratè progressus usq; ad Constantinum Magnum, ea, quæ sub eo gesta sunt, diligentissime tractat. Mentionem eorum & Photius cod. 27. facit. Edidit insuper librum *de Martyribus*: ut ex Historiæ eccles. l. 4. c. 14. & lib. 5. c. 1, 4. & 20. constat. Meminit istius Operis quoq; Hieronymus hoc loco, & Gregorius Magnus l. 7. ep. 29. ad Eulogium. Insuper de vita Pamphili scripsit tres libros; & alia multa, quorum titulos Hieronymus hoc capite recitat. Mirum vero, præteriri ab illo libros quatuor *de vita Constantini*, qui hodieque exstant, & pro Eusebianis à Photio cod. 127. quoque agnoscuntur. Similiter nec mentionem facit Hieronymus Orationis Eusebianæ, quæ inscribitur *Oratio de Constantino Imp. habita anno Imperii ejus tricesimo*. At ejus ipse Eusebius lib. 1, de vita Constantini c. 1, & lib. 4, cap. 47. meminit.

minit. Historiam porro Ecclesiasticam Eusebii *Socrates*, *Hermias Sozomenus*, *Theodoretus*, & alii Græci excipiunt, suis infra locis à nobis commemorandi.

CAP. XXCII.

RHeticius Æduorum, id est, Augustudunensis Episcopus, sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Galliis. Leguntur ejus commentarii in Cantica Canticorum: & aliud grande volumen adversus Novatianum: nec præter hæc quicquam ejus operum reperi.

SCHOL.

S. Reticius] Augustodunensis in Gallia Episcopus, Constantini Imp. ævo datus est judex Donatistis. Arelatensi conc. 314. interfuit, & colitur ut Sanctus.

CAP. XXCIII.

METHODIVS Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopus, nitidi compositique sermonis, adversum Porphyrium confecit libros, & Symposium decem virginum, de resurrectione opus egregium, contra Origenem, & adversus eumdem de Pythonissa, & de Autexusio. In Genesim quoque & Cantica Canticorum commentarios: & multa alia, quæ vulgo lectitantur. Et ad extremum novissimæ persecutionis, sive, ut alii affirmant, sub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ, martyrio coronatus est.

SCHOLION.

S. Methodius, Tyri Episcopus sub Diocletiano, aut sub Decio & Valeriano (ut quosdam affirmare Hieronymus hîc refert) martyrium fecit. Sed prior sententia magis placet: quia & contra Porphyrium, & contra Origenem scripsit: quorum ille ad Diocletianum usque pervenit; hic, Valeriano & Gallieno imperantibus, anno ætatis undeseptuagesimo decessit. Hujus Methodii fragmenta ex libro de Resurrectione adversus Origenem, apud Epiphanium hæres. 64. & alia non pauca apud Photium in Bibliotheca exstant. Circumfertur & libellus Revelationum sub ejus nomine, sed putatur suppositicius. Alius ab isto fuit

S. Me-

S. Methodius CP. Patriarcha, cujus Canones pœnitentiales Baronius tom. 9. Annalium, sub annum 842. publicavit.

CAP. XXCIV.

IVVENCUS, nobilissimi generis, Hispanus presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino Principe

SCHOL.

Iuvenci libros S. Hieronymus etiam laudat in epist. ad Magnum, & in commentario ad cap. 7. Matthæi: exstantque in Bibliotheca veterum Patrum & alibi. Scripsit autem Constantini Magni ævo.

CAP. XXCV.

EVSTATHIVS, genere Pamphylius, Sidites, primum Beroeæ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit ecclesiam: & adversum Arianorum dogma componens multa sub Constantino Principe pulsus est in exilium Traianopolim Thraciarum, ubi usque hodie conditus est. Exstant ejus volumina de Anima, de Engastrimytho adversum Origenem, & infinitæ epistolæ, quas enumerare longum est.

SCHOL.

S. Eustathius Antiochenus anno 325. concilio Niceno interfuit, & anno 340. ab Arianis pulsus est in exilium. Primus Antiochenæ ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit: ut Hieronymus epist. 126. ad Evagrium loquitur. Martyrologio Rom. 16. Iulii adscriptus legitur: quo loco, ut & in Annalibus, plura de eo habet Baronius.

CAP. XXCVI

MARCELLVS, Ancyranus Episcopus, sub Constantino & Constante Principibus floruit, multaque diversarum ὑποθέσεων scripsit volumina, maxime adversum Arianos. Feruntur contra hunc Asterii & Apollinarii

linarii libri, Sabellianæ eum hæresis arguentes: sed & Hilarius, in septimo adversum Arianos libro, nominis ejus, quasi hæretici meminit. Porro ille defendit, se non esse dogmatis, cujus accusatur, sed communione Iulii & Athanasii, Romanæ & Alexandrinæ urbis Pontificum, se esse munitum.

SCHOLION.

Marcellum hunc Ancyranum Episcopum & Trithemius memorat lib. de Script. eccles.

CAP. XXCVII.

ATHANASIVS Alexandrinæ urbis Episcopus, multas Arianorum perpessus insidias, ad Constantem Galliarum Principem fugit: unde reversus cum litteris, & rursum post mortem ejus fugatus, usque ad Ioviani imperium latuit; a quo recepta ecclesia, sub Valente moritur. Feruntur ejus adversum Gentes duo libri, & contra Valentem & Vrsatium unus, & de Virginitate, & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de Psalmorum titulis, & historia Antonii monachi vitam continens: & ἑορταστικὴ epistolæ, & multa alia, quæ enumerare longum est.

SCHOL.

S. Athanasium anno 373. adhuc superstitem fuisse, constat ex Proterii Patriarchæ Alexandrini ad Leonem I. Papam epistola, à Bucherio edita, infra in notis ad caput 10. Isidori memoranda. Errat itaque Socrates, qui lib. 4. c. 29. tradit, Gratiano II. & Probo Consulibus, hoc est, Christi anno 371. ipsum obiisse. Athanasii opera, tomis IV. comprehensa, sunt in omnium manibus: ex iis quæ genuina sint, Bellarminus in Catalogo, & Baronius in Annalibus explicant.

CAP. XXCVIII.

ANTONIUS monachus, cujus vitam Athanasius, Alexandrinæ urbis Episcopus, insigni volumine prosecutus est, misit Ægyptiace ad diversa monaste-

ria

ria Apostolici sensus sermonisque epistolas septem, quæ in Græcam linguam translatæ sunt: quarum præcipua est ad Arsenoitas. Floruit sub Constantino & filiis ejus regnantibus. Vixit annos centum quinque.

SCHOL.

S. Antonius] anno Christi 250. sub Decio natus, ætatis 105. ad Dominum migravit, Constantii anno 19. hoc est Christi 356. mense Januario. Ejus Epistolæ, hîc ab Hieronymo laudatæ, in Bibliotheca Patrum exstant. Libri duo Sermonum, qui in eadem Bibliotheca habentur, & S. Antonio perperam à Trithemio adscribuntur, sunt auctoris longe posterioris ætate; utpote citantis Basilium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Nilum, Photium, & alios.

CAP. XXCIX.

BASILIUS Ancyranus Episcopus artis Medicinæ, scripsit contra Marcellum, & de Virginitate librum, & nonnulla alia: & sub Rege Constantio, Macedonianæ partis, cum Eustathio Sebasteno, princeps fuit.

SCHOL.

Basilius] iste Ancyranus, Episcopus arcis Mecheæ (fortassis Mechæ in Arabia; qua in urbe pseudopropheta Mahometus est conditus) professione Arianus, unà cum aliis Arianis Joviano Imp. libellum obtulit: ut Sozomenus l. 6. c. 4. narrat. Ab isto Episcopo prorsus alius fuit (etsi eodem tempore vixerit) *S. Basilius* presbyter & martyr Ancyranus, fastis Rom. Martyrologii 22. Martii adscriptus: quo loco & Baronium lege.

CAP. XC.

THEODORUS, Heracliæ Thraciarum Episcopus, elegantis apertiq; sermonis, & magis historicæ intelligentiæ, edidit sub Constantio Principe commentarios in Matthæum & in Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium.

SCHOL.

Theodori] Heraclienſis Episcopi meminit & Trithemius.

CAP. XCI.

EUSEBIUS Emesenus Episcopus, elegantis & rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros, magisque historiam secutus, ab his qui declamare volunt, studiosissime legitur: e quibus vel præcipui sunt adversum Iudæos & Gentes, & Novatianos, & ad Galatas libri decem, & in Evangelia homiliæ breves, sed plurimæ. Floruit temporibus Constantii Imperatoris, sub quo & mortuus, Antiochiæ sepultus est.

SCHOL.

Theodoretus Scriptores, qui adversus Manichæorum sectam commentarios ediderunt, recenset istos, *Titum Bostrenum* Episcopum, *Diodorum Tarsensem*, *Georgium Laodicenum* Arianum, *Eusebium Phœnicem*, hoc est, *Emesenum*. Quod ab Eusebium Cæsarienſem attinet, Socrates l. 1. c. 17. scribit, jejune admodum in ecclesiastica Historia Manichæorum ab illo mentionem esse factam. Qua de causa totam ejus Historiam ex Archelai, supra cap. 72. laudati, scriptis uberius exponit. Quare præcipuo aliquo libro hæresim istam oppugnasse videtur Eusebius Emesenus. Vixit autem sub Constantio, Constantini Magni filio. Homiliæ in Evangelia totius anni, & aliæ Homiliæ quinquaginta, variorum argumentorum, falso sunt editæ nomine Eusebii Emeseni: ut Bellarminus in Catalogo recte docet; ubi & differit de istarum Homiliarum auctoribus.

CAP. XCII.

TRIPHYLLIVS, Cypri Ledrensis, sive λευτεῶν Episcopus, eloquentissimus suæ ætatis, & sub Rege Constantio celeberrimus fuit. Legi ejus in Cantica commentarios. Et multa alia composuisse fertur, quæ in nostras manus minime pervenerunt.

SCHOL.

Triphyllius seu Triphylius memoratur & a Trithemio.

CAP.

CAP. XCIII.

DONATVS, a quo Donatiani per Africam sub Constante Constantioque Principibus pullulaverunt, asserens, a nostris Scripturas in persecutione Ethnicis traditas, totam pene Africam & maxime Numidiam, sua persvasione decepit. Exstant ejus multa ad suam hæresim pertinentia opuscula, & de Spiritu sancto liber, Ariano dogmati congruens

SCHOL.

Donatistarum schismatis auctor fuit Donatus a Casis nigris; a quo Majorinus est ordinatus: etsi ab altero Donato, qui Majorino suffectus est, sic appellari postea maluerunt. Optatum Milevitanum, Augustinum lib. 3. Confess. & alios veteres consulat, plura qui volet.

CAP. XCIV.

ASTERIVS, Arianæ philosophus factionis, scripsit regnante Constantio, in epistolam ad Romanos & in Evangelia, & Psalmos commentarios, & multa alia, quæ a suæ partis hominibus studiosissime leguntur.

SCHOL.

Asterios duos fuisse comperio: unum Arianæ sectæ, hic ab Hieronymo, & a Socrate lib. 1. Hist. ecclesiast. itemque a Sozomeno lib. 2. c. 33. memoratum: alterum Amasceæ Episcopum, cujus politissimæ exstant Homiliæ, circa annum 400. scriptæ, & ex Græco Latinæ a Philippo Rubenio (Petri Pauli, Pictorum nostro ævo principis, fratre, nostroque olim Lovanii sub Lipsio studiorum socio) redditæ, & typis Plantinianis evulgatæ. Iuliano Apostatæ synchronum, aut ejus ætati supparem fuisse, ex Homilia 3. liquido constat. Apud Metaphrastem exstat ejusdem Oratio in B. Phocam, & in Martyres Homilia. Apud Photium in Bibliotheca leguntur Excerpta decem Homiliarum, itemque apud auctorem Catenæ Græcorum Patrum in Lucam.

CAP. XCV.

LUCIFER, Caracalitanus Episcopus, cum Pancratio & Hilario Romanæ Ecclesiæ clericis, ad Constantium Imperatorem a Liberio Episcopo, pro fide legatus missus, cum nollet sub nomine Athanasii Nicænam damnare fidem, in Palæstinam relegatus, miræ constantiæ & præparati animi ad matyrium, contra Constantium Imp. scripsit librum, eique legendum misit: ac non multo post, sub Juliano Principe, reversus Caralis, Valentiniano regnante obiit.

SCHOL.

LVCIFERI Calaritani in Sardinia Episcopi opera Parisiis 1568. sunt edita, studio Ioan. Tilii Episcopi Meldensis. Luciferum porro, schismate abdicato, resipuisse, & in Ecclesiæ pace obiisse probare contendit Antiochus Bronchus Calaritanus, in cap. 2. Apocalypsios scribens; additque, ipsum a Sardis & Vercellensibus publice ut sanctum coli. Obiit autem Lucifer an 370.

CAP. XCVI.

EUSEBIVS natione Sardus, & ex Lectore urbis Romanæ Vercellensis Episcopus, ob confessionem fidei a Constantio Principe Scythopolim & inde Cappadociam relegatus, sub Juliano Imp. ad Ecclesiam reversus, edidit in Psalmos commentarios Eusebii Cæsariensis, quos de Græco in Latinum verterat. Mortuus est Valentiniano & Valente regnantibus.

SCHOL.

S. EVSEBIVS, Episcopus Vercellensis an. 370. ad Dominum migravit. Nomen ejus fastis Martyrologii Romani, veteris ac novi, Kalendis Augusti adscriptum legitur. Baronium in Notis ad hunc locum, & in Annalibus consule. Eusebii hujus meminit Epiphanius in Panario hæresi 30. ubi non *Fregellis*, sed *Vercellis*, est legendum.

CAP.

CAP. XCVII.

FORTVNATIANVS natione Afer, Aquileiensis Episcopus, imperante Constantino, in Evangelia, titulis ordinatis, brevi & rustico sermone scripsit commentarios: & in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romanæ urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.

SCHOL.

Liberium.] Cum omnium Arianorum cogitationes in unius Athanasii Episcopi Alexandrini (quo præcipue per id tempus res Catholica nitebatur) exitium conversæ essent, ipsorum impulsu, Constantius Imp. Episcopos partim vi ac verberibus ad ejusdem Athanasii damnationem adegit, partim scelus detrectantes carcere aut exilio mulctavit. Relegati itaque fuerunt *Liberius Papa*, *Eusebius Vercellensis & Dionysius Mediolanensis*, Episcopi. Osius Cordubensis, cum initio constanter obstitisset, victus demum cessit. Sic & Liberius Papa, tædio exilii & desiderio redeundi Romam victus, in Athanasii damnationem consensit, Fideiq; formulam Sirmii conscriptam, approbavit; non tamen a Fide Catholica defecit, aut in hæresim incidit: ut Baronius in gestis anni 357. fuse probat.

CAP. XCVIII.

ACACIVS, quem, quia luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant, Cæsariensis ecclesiæ in Palæstina Episcopus, elaboravit in Ecclesiasten decem & septem volumina, & συμμίκτων ζητημάτων sex, & multos præterea diversosque tractatus. In tantum autem sub Constantio Imp. claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arrianum Episcopum constitueret.

SCHOLIA.

Acacius] magistro suo, Eusebio Pamphili, 340. defuncto, in Episcopatu Cæsariensi & studio factionis Arianæ successit. Scripsit inter alia librum de rebus gestis ejusdem Eusebii; ut Socrates lib. 2. cap. 3. tradit: & anno 366. moriens Euzoium, itidem

Arianum, infra cap. 113. memorandum, habuit ſucceſſorem.

Romæ felicem] Liberio Papa ab Arianis in exilium pulſo, Felix II. eſt ſubrogatus ab eiſdem. Manſit hic tamen profeſſione orthodoxus, etſi cum Arianis communicaret; ut Baronius ad annum 355. docet. Idem Felix poſtea Conſtantium Imp. damnavit, ac demum martyr occubuit, Martyrologii Rom. tabulis a. d. 29. Julii adſcriptus. Cujus quidem ſacræ reliquiæ, anno 1582. in diaconia SS. martyrum Coſmnæ & Damiani, in foro Romano, fuerunt inventæ, cum hac inſcriptione in lapideo laterculo: *Corpus S. Felicis Papæ & martyris, qui damnavit Conſtantium.* Plura qui volet, Baronium ad annum 357. conſulat.

CAP. XCIX.

SERAPION θμουέως Ægypti urbis Epiſcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit, carus Antonii monachi, edidit adverſum Manichæum egregium librum, & de Pſalmorum titulis alium, & ad diverſos utiles Epiſtolas, & ſub Conſtantio Principe etiam in confeſſione inclytus fuit.

SCHOL.

S. Serapion] ex anachoreta Epiſcopus Thmueos a S. Athanaſio ordinatus, & ab eodem in libris, qui exſtant, celebratus, Martyrologio Romano, veteri & novo, adſcriptus legitur. Eſt autem *Thmuis* ubrs Ægypti, in ea provincia, quæ Scethi dicitur; Ptolemæo, Palladio, Evagrio, Caſſiano, aliiſque veteribus nota. Serapionis liber contra Manichæos, Fr. Turriano S. I. interprete, apud Caniſium tom. 5. Lectionis antiquæ exſtat.

21. *Mart.*

CAP. C.

HILARIVS, urbis Pictavorum Aquitaniæ Epiſcopus, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, de Synodo Piterrenſi in Phrygiam relegatus, duodecim adverſus Arianos confecit libros; & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum Epiſcopos ſcripſit: & in Pſalmos commentarios, primum videlicet & ſecundum: & a quinquageſimo primo uſque ad ſexageſimum ſecundum, & a centeſimo decimo octavo uſque ad extre-

tremum : in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus & ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat: & alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit: & liber adversum Valentem & Vrsatium, historiam Ariminensis & Seleucienſis synodi continens: & adversus Præfectum Salustium, sive contra Dioscorum; & liber Hymnorum & Mysteriorum alius: & commentarii in Matthæum: & tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit: & alius elegans libellus contra Auxentium: & nonnullæ ad diversos epistolæ. Aiunt quidam, scripsisse eum & in Cantica Canticorum; sed a nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictavis, Valentiniano & Valente regnantibus.

SCHOL.

S. Hilarius] Episcopus Pictavienſis, ex Biterrenſi in Gallia Synodo, anno 356. a Constantio Imp. in Phrygiam est relegatus: inde ad suos redux, anno circiter 370. vivere desiit. Hilarii opera, Martini Lipsii (qui Iusto Lipsio patruus major fuit) & aliorum studio illustrata, Parisienses evulgarunt. Fragmenta Hilarii ex opere historico Ariminensis Concilii (hic & in epistola 6. quæ est ad Florentium, & 41. memorato ab Hieronymo) Nicolaus Faber, noster olim Lutetiæ amicus, ibidem 1598. edidit, ex chartaceo Petri Pithæi libro, non adeo antiquo. Eorumdem fragmentorum pervetus aliud exemplar postea Sirmondus ex bibliotheca S. Remigii Remensis eruit.

CAP. CI.

VICTORINVS, natione Afer, Romæ sub Constantio Principe Rhetoricam docuit : & in extrema senectute, Christi se tradens fidei, scripsit adversus Arium libros more dialectico valde obscuros; qui ab eruditis modo intelliguntur : & commentarios in Apostolum.

SCHOL.

SCHOL.

Fabius Marius Victorinus, Afer, ad Iustinum Manichæum scripsit librum contra duo principia Manichæorum, & de vera carne Christi; Parisiis 1629. studio Iac. Sirmondi S. I. editum. Augustinus lib. 8. Confessionum cap. 2. mirifice Victorinum hunc laudat: *Vbi* (inquit) *commemoravi Episcopo Ambrosio, legisse me quosdam libros Platonis, quos Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audieram, in Latinam linguam transtulisset; ut me exhortaretur ad humiliratem Christi, mihi narravit, quemadmodum ille doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique Philosophorum tam multa legerat, & dijudicaverat, & dilucidaverat, doctor tot nobilium Senatorum, quique etiam, ob insigne præclari magisterii, statuam in Romano foro meruerat & acceperat; non erubuerit esse puer Christi tui, & infans fontis tui, subjecto collo ad humilitatis jugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium.* Hactenus Augustinus.

CAP. CII.

TITVS Bostrenus Episcopus sub Iuliano & Ioviano Principibus, fortes adversum Manichæos scripsit libros, & nonnulla volumina alia. Moritur autem sub Valente.

SCHOL.

Titus] Bostrensis Episcopus, scripsit libros quatuor contra Manichæos: quorum tres, Fr. Turriano interprete, apud Canisium tom. 5. Lect. antiquæ exstant; qartus desideratur. Titi ejusdem nomine, Ingolstadii & in Bibliotheca veterum Patrum, leguntur editi commentarii in Matthæum & Lucam. Sed quia auctor horum commentariorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum & Pelusiotam, qui pueri erant cum Titus Bostrensis moreretur, Bellarminus in Catalogo censet eos non esse hujus Titi. Vt ut sit, in Catena LX. Græcorum Patrum in Lucam, typis Plantinianis 1628. per Corderium publicata, ex Titi commentario in Lucam & ex aliis illius operibus multa citantur.

CAP. CIII.

DAMASVS, Romanæ urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaq; & bre-

& brevia metro edidit, & prope octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est.

SCHOL.

S. Damasus, natione Hispanus, Liberio in pontificatu successit, eoque laudatissime per annos 16. gesto, anno Christi 384. decessit. Vir eleganti fuit ingenio, in componendis præsertim versibus: ex quibus pauci superstant, Venetiis 1501. ab Aldo Manutio, & postea in Bibliotheca veterum Patrum excusi. Exstant & aliquæ ipsius *Epistolæ* inter Epistolas S. Hieronymi, itemq; apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 10. & 11. ut & in tomis Conciliorum. Librum porro *de vitis Pontificum*, a B. Petro Apostolo usque ad Damasum, non posse Damaso attribui, multa convincunt argumenta. Primum quia Hieronymus, in hoc suo illustrium virorum Catalogo, istius scripti non meminit. Deinde, quia reclamat stilus, totaq; series orationis. In Epistolis enim Damasi, aliisq; ejus monumentis phrasis culta est ac nitida; in hoc vero de Pontificibus opusculo inculta rudis & impolita. Ad hæc multa in hac historia narrantur a veritate aliena, quæ nullius gravis aut prisci auctoris testimonio confirmari possunt; multi in eadem Chronographici lapsus, nonnulla pugnantia & asystata. Papyrius Massonus existimat, ab alio potius *Damaso Portuensi Episcopo* (ad quem ab Eusebio Cremonensi, Hieronymi olim discipulo, vita ejus scripta dicitur) Pontificale istud editum esse. Sed doctissimis illius sæculi Scriptoribus fuit purior sermonis cultus, & reconditior doctrina, quam in hoc opere appareat. Panuinius, Baronius & alii, tantum abest ut Damasim credant istius libri esse auctorem, ut etiam suspicentur a pluribus, minimum duobus Scriptoribus esse consarcinatum. Verum quia stilus, totaq; scribendi ratio, ordo & methodus earum vitarum, quæ post S. Damasi vitam in isto codice leguntur, omnino consentire videntur cum phrasi universaq; scribendi ratione, quæ est in Vitis prioribus, Damaso hactenus inscriptis, censeo omnium illarum Vitarum (licet nonnullis in locis, adulterina aliorum adjectione vel detractione, sint depravatæ) verum ac germanum parentem esse *Anastasium S. R. E. Bibliothecarum*: ejus etiam nomine typis 1602. Mo-

guntiæ excusæ fuerunt, Marco Velsero, Augustanæ R.P. Duumviro procurante.

CAP. CIV.

APOLLINARIUS, Laodicenus Syriæ Episcopus, patre presbytero, magis Grammaticis in adolescentia operam dedit, & postea in sanctas Scripturas innumerabilia scribens, sub Theodosio Imp. obiit. Exstant ejus adversus Porphyrium triginta libri, qui inter cætera ejus opera vel maxime probantur.

SCHOL.

Apolinarius] al. Apollinaris, patre presbytero, sive (ut in Brixianis mss. codicibus legi asserit Victorius) patre Probo natus, Laodiceæ in Syria Episcopus, auctor hæreticorum Apollinastarum, cum discipulo Vitali, Romæ in Synodo a Damaso Papa 373. damnatus fuit. Testamentum fere universum versibus reddidit, & ex iis hodie supersunt *Psalmi Davidis*, Parisiis 1580. excusi. Exstat ejusdem libellus *De ætatibus hominum*, Leodici 1575. editus. Ab isto alius, & quidem senior, fuit *S. Apollinaris Hieropolitanus*, supra cap. 26. laudatus.

CAP. CV.

GREGORIUS, BÆTICUS, Eliberi Episcopus, usque ad extremam senectutem diversos mediocri sermone tractatus composuit, & de Fide elegantem librum, qui hodieque supereſſe dicitur.

SCHOL.

Gregorii Bætici liber contra Arianos exstat in Bibliotheca veterum Patrum. Eliberis seu Eliberris fuit olim sita in ea Bæticæ parte, ubi nunc Granata, Illiberis, ad Pyrenæos montes, nunc per syncopen *Collibre* dicitur.

CAP. CVI.

PACIANUS, in Pyrinæi jugis Barcilonæ Episcopus, castitate & eloquentiâ, & tam vita, quam sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus est περὶ μετανοίας, & con-

contra Novatianos. Sub Theodosio Principe, jam ultima senectute, mortuus est.

SCHOL.

S. Paciani Episcopi Barcinonensis *Epistolæ* tres contra Novatianos; item *Paræneſis ad pœnitentiam, & libellus de Baptismo*, exstant in bibliotheca veterum Patrum, & seorsim in editione Romana anni 1564. De eo Martyrologium Rom. 9. Martii.

CAP. CVII.

PHOTINUS de Gallogræcia, Marcelli discipulus, Sirmii Episcopus ordinatus, Hebionis hæresim instaurare conatus est, postea a Valentiniano Principe pulsus ecclesia, plura scripsit volumina, in quibus vel præcipua sunt contra Gentes, & ad Valentinianum libri.

SCHOL.

Photinus, Marcelli Ancyrani discipulus, in Sirmiensi Synodo an. 351. ut hæreticus damnatus fuit; Basilio potissimum Ancyrano reum peragente. De S. Photino, al. Potino, Lugdunensi Episcopo ac martyre in martyrologium Romanum 2. Iunii relato, vide supra pag. 13.

CAP. CVIII.

SOEBADIUS, Agenni Galliarum Episcopus, edidit contra Arianos librum. Dicuntur & ejus alia esse opuscula, quæ necdum legi. Vivit usque hodie decrepita senectute.

SCHOL.

Phœbadii, Aginnensis in Aquitania Episcopi, liber contra Arianos exstat in Bibliotheca veterum patrum; in quo Sirmiensem formulam, ad Gallos an. 358. missam, per singula capita discutit, & firmissimis rationibus confutat. Conciliorum Galliæ, a Sirmondo editorum, tomum primum lege, ad istum annum.

CAP. CIX.

DIDYMUS Alexandrinus, captus a parva ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut Dialecticam

quoque & Geometriam, quæ vel maxime visu indiget, usque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit: commentarios in Psalmos omnes: commentarios in Evangelium Matthæi & Joannis: & de dogmatibus, & contra Arianos libros duos: & de Spiritu sancto librum unum, quem ego in Latinum verti: in Esaiam tomos decem & octo: in Osee, ad me scribens, commentariorum libros tres: & in Zachariam, meo rogatu, libros quinque: & commentarios in Job: & infinita alia: quæ digerere proprii indicis est. Vivit usque hodie, & octogesimum tertium ætatis excessit annum.

SCHOL.

Ex Didymi Alexandrini monumentis supersunt tantummodo, liber *de Spiritu sancto*, a S. Hieronymo Latine tedditus, exstatque inter opera ejusdem Hieronymi; liber *Contra Manichæos*, interprete Francisco Turriano, apud Canisium tom. 5. Lect. antiquæ, & Enarratio in *Epistolas canonicas*. Ejusdem nonnulla ex commentariis *in Proverbia* citat auctor Catenæ LX. Græcorum PP. in S. Lucam, typis Plantinianis 1628. editæ. De Didymi ejusdem scriptis Socrates l. 4. c. 3. & Ruffinus l. 2. c. 7. agunt. Hieronymus dicit ipsum Origenis errores fuisse secutum. Vixit sub Valentiniano & Valente Principibus. Fuit & inter ethnicos olim celebris alter *Dydimus Alexandrinus*, cognomento *Chalcenterus*, nobilis Grammaticus, qui Julii Cæsaris ævo floruit.

CAP. CX.

OPTATUS Afer, Episcopus Milevitanus, ex parte catholica, scripsit Valentiniano & Valentino Principibus adversum Donatianæ partis calumniam libros sex, in quibus asserit, crimen Donatianorum in nos falso retorqueri.

SCHOL.

S. Optatus, Milevii in Africa Episcopus, an. 370. claruit, & Parmenianum Donati successorem luculento opere confutavit: quod omnium manibus teritur. Nomen ejus Martyrologio Rom.

Rom. 4. Iunii est inscriptum. Opera Lutetiæ 1631. sunt edita, cum Notis Gabr. Albaspinæi, Ep. Aurelianensis.

CAP. CXI.

AQUILIUS SEVERUS, in Hispania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epistolarum scribuntur libri, composuit volumen, quasi ὁδοιπορικὸν totius suæ vitæ statum continens, tam prosa quam versibus, quod vocavit καθαστροφὴν sive πεῖραν, & sub Valentiniano Principe obiit.

CAP. CXII.

CYRILLUS Hierosolymæ Episcopus, sæpe pulsus ecclesia, & receptus, ad extremum sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Extant ejus κατηχήσεις, quas in adolescentia composuit.

SCHOL.

S. *Cyrilli* Episcopi Hierosolymitani *Catecheses* exstant Græce & Latine; studio Joannis Grodecii Parisiensis 1608. *Epistola* ejusdem ad Constantium Imp. de Crucis apparatione, & *Oratio* de occursu Domini, exstant tom. 4 Bibliothecæ Patrum, Græci & Latini diem ejus festum 18. Martii celebrant. *Martyrol Rom. 18. Mart.*

CAP. CXIII.

EVZOIUS, apud Thespesium Rhetorem, cum Gregorio Nazianzeno Episcopo, adolescens Cæsareæ eruditus est: & ejusdem postea urbis Episcopus, plurimo labore, corruptam Bibliothecam Origenis & Pamphili in membranis instaurare conatus est. Ad extremum sub Theodosio Principe ecclesia pulsus est. Feruntur ejus varii multiplicesque tractatus, quos nosse perfacile est.

SCHOL.

Euzoii istius Cæsarienſis Epiphanius quoque in Hæresi 73. meminit. Alius ab isto fuit Euzoius, qui cum Alexandrinæ ecclesiæ diaconus esset, cum Ario pulsus, postea Antiochenam sedem obtinuit. Cæterum Euzoius Cæsarienſis, eo quod Arianus esset,

Theodosio regnante, Cathedra sua pulsus, successorem habuit Gelasium, cap. 130. ab Hieronymo memorandum.

CAP. CXIV.

EPIPHANIUS, Cypri Salaminæ Episcopus, scripsit adversum omnes Hæreses libros, & multa alia, quæ ab eruditis propter res, a simplicioribus propter verba lectitantur. Supereſt usque hodie, & in extrema jam senectute varia cudit opera.

SCHOL.

S. Epiphanius] Constantiæ, sive Salaminæ in Cypro Episcopus, anno 374. aut 375. inchoavit *Panarium* adversus Hæreses, quæ ad suam ætatem exstiterunt. Scripsit insuper *Ancoratum*, *Anacephalæosim* sive Summam Panarii, *De ponderibus & mensuris*, *Physiologum*, *de XII. gemmis*, & alia. Latine ex Græco fere omnia reddidit, & animadversionibus illustravit Dionysius Petavius, S. I. Theologus, an. 1622 Parisiis. Orationes porro, quæ ejusdem Epiphanii nomine circumferuntur, cum stilo ipso, tum aliis quibusdam indiciis satis declarant, se esse alterius vel Epiphanii vel auctoris. Nam præter hunc nostrum fuerunt alii duo *Epiphanii*, in Cypro itidem Episcopi. Unius nomine in Synodo VI. Theodorus, Trimethuntiorum episcopus, subscripsit: alterius extat epistola ad Ignatium CP. Patriarcham, cum Synodo VIII. a Matthæo Radero, Soc. Iesu Theologo edita.

CAP. CXV.

EPHRÆM, Edessenæ Ecclesiæ diaconus, multa Syro sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam ecclesiis ejus scripta recitentur. Legi ejus de Spiritu sancto Græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen sublimis ingenii, etiam in translatione, cognovi. Decessit sub Valente Principe.

SCHOL.

S. Ephræm Nisibi natus (ut Sozomenus hist. l. 3. c. 15. tradit) Edessenæ ecclesiæ diaconus, admirabilis illius Iacobi Episcopi alu-

alumnus ac discipulus, circa annum 370. claruit. Scripsit varia Syro sermone; quæ Gerardus Vossius, Decanus Tungrensis, agens Romæ, & Baronio aliisque eruditis in Urbe viris familiariter utens, ex præcipuis Italiæ bibliothecis in unum collegit, & Latina civitate donavit. Exstant omnia Romæ, Antverpiæ & Coloniæ junctim edita.

CAP. CXVI.

BASILIUS Cæsareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, Episcopus, egregios contra Eunomium elaboravit libros, & de Spiritu sancto volumen, & in Hexaëmeron homilias novem, & ἀσκητικὸν, & breves varioque tractatus. Moritur imperante Gratiano.

SCHOL.

S. Basilius, re & cognomento Magnus, decursis in urbe Athenienſi litterarum spatiis, ad philosophandum solitudinem aptiorem ratus, eremum cum *Gregorio Nazianzeno* sese contulit: quo nemo illi conjunctior, ob studiorum animorumq; similitudinem, ac ne frater quidem ullus carior fuit, cum *Gregorium* haberet & *Petrum*, illum Nyssæ, hunc Sebastæ Episcopum; & alios duos fratres monasticen professos: itemque sorores, quæ sæculum & ipsæ nuncio remisso, valere jussissent. Ex veteribus plerique omnes doctrinam & eloquentiam Basilii suspexerunt: in his, præter Hieronymum, Sophronius, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus Cyrenſis, Philostorgius, Photius. Suidam ex his loquentem audiamus:

Basilius Cæsareæ Cappadocum Episcopus, quæ urbs olim Mazaca dicebatur, Gregorii Nazianzeni Episcopi amicus, parentibus antiqua nobilitate claris ortus, Basilio & Emmelia, vir eloquentium præstantissimus, & in omni doctrinæ genere summus, scripsit plurima, inter quæ maxima in admiratione sunt commentarii in opificium sex dierum. *Etiam* contra Eunomium *eximios scripsit libros, & opus* de Spiritu sancto: *&* in Hexaëmeron *IX. Homilias: aliud opus* Asceticum, *id est, de exercitatione virtutis & pietatis: aliud* de virginitate: *Laudationem XL. martyrum: aliam de Gordio, aliam de Barlaam, aliam de Julitta: item in diversos Psalmos: Sermones varios de moribus:* Epi-

sto-

pistolas, *quarum nullæ iis meliores, quas cum ad Libanium sophistam, tum ad Gregorium Nazianzenum familiarem, & ad alios complures, dedit. Hujus quoque Basilii meminit Philostorgius in ea, quam adversus hæreticos edidit, Historia.*

Cæterum S. Basilius, Eusebio defuncto, an. 370. Cæsariensis creatus Episcopus, cum annis octo & mensibus aliquot præfuisset, anno ineunte 397. Kalendis Ianuarii, in Domino obdormivit; Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, ad eumdem diem, adscriptus. Opera ejus omnia, quæ exstant, Græco Latina 1618. Parisienses ediderunt. Eadem Latine antea 1616. Andreas Scottus S. I. Antverpiæ evulganda curarat. Præter Basilium Cæsariensem, fuit & alius ejusdem nominis in Oriente Antistes, pietate ac doctrina præstans, *Basilius Seleuciensis*, a nobis infra in Auctario prædicandus: cujus exstant Orationes XLIV. & liber de vita S. Theclæ virginis ac martyris; omnia Lutetiæ Græco-Latina junctim edita.

CAP. CXVII.

GREGORIUS, primum Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, præceptor meus, quo Scripturas explanante didici, ad triginta millia versuum omnia opera sua composuit. Equibus illa sunt: de morte fratris Cæsarii: περὶ φιλοπτωχίας: laudes Machabæorum: laudes Cypriani: laudes Athanasii: laudes Maximi philosophi, post exilium reversi; quem falso nomine quidam Heronis superscripserunt; quia est & alius liber vituperationem ejusdem Maximi continens: quasi non licuerit eumdem & laudare & vituperare pro tempore. Et liber, hexametro versu, Virginitatis, & nuptiarum, contra se differentium. Adversum Eunomium liber unus: de Spiritu sancto liber unus. Contra Julianum Imperatorem liber unus. Secutus est autem Polemonem dicendi charactere; vivoque se Episcopum in loco suo ordinans, ruri vitam monachi exercuit. Deceſſitque ante hoc ferme triennium sub Theodosio Principe.

SCHOL.

SCHOL.

S. Gregorius Nazianzenus, & Basilii Cæsariensis amicorum intimus S. Hieronymi præceptor, anno 389. decessit. Ejus opera Græco-Latina, interprete Iac. Billio Pruneo, 1630. Parisienses publicarunt, cum Nicetæ Serronii Pselli Nonii & Eliæ Cretensis commentariis

CAP. CXVIII.

LUCIUS, post Athanasium Arianæ partis Episcopus, usque ad Theodosium Principem, a quo & pulsus est, Alexandrinam ecclesiam tenuit, Exstant ejus solemnes de Pascha epistolæ, & pauci variarum hypotheseon libelli.

CAP. CXIX.

DIODORUS, Tarsensis Episcopus, dum Antiochiæ esset presbyter, magis claruit. Extant ejus in Apostolum commentarii, & multa alia, ad Eusebii magis Emiseni characterem pertinentia: cujus cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam sæcularium litterarum.

CAP. CXX.

EUNOMIUS, Arianæ partis, Cyzicenus Episcopus, in apertam hæreseos suæ prorumpens blasphemiam, ut quod illi tegunt, iste publice fateretur, usque hodie vivere dicitur in Cappadocia, & multa contra Ecclesiam scribere. Responderunt ei Apollinarius, Didymus, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus.

SCHOL.

Eunomius] Aetii Syri discipulus, Cyrici, aliis Cyzici Episcopus cum magistro suo hæresim Anomœorum sive Eunomianorum excitavit: qui Filium Patris esse dissimilem asserebant. De hæresi ista Epiphanius hæres. 76. & Socrates l. 2. c. 35. agunt.

Apolinarii] Græcis constanter dicti sunt, tum antiquior ille *Hierapolitanus*, qui sub M. Aurelio vixit, apud Eusebium libro 4.

cap. 26. & apud Hieronymum supra cap 26. tum Laodiceni duo in Syria: quorum junior, id est, filius, hæresis auctor fuit, de qua Apolinaristæ nuncupati. Pro Apolinariis *Apollinares* plerique apud Latinos vocant, diversam vocis originem non animadvertentes.

CAP. CXXI.

PRISCILLIANUS, Abulæ Episcopus, qui factione Hylacii & Ithacii Treveris a Maximo tyranno cæsus est, edidit multa opuscula, de quibus ad nos aliqua pervenerunt. Hic usque hodie a nonnullis Gnosticæ, id est, Basilidis & Marcionis, de quibus Irenæus scripsit, hæreseos accusatur; defendentibus aliis, non ita eum sensisse ut arguitur.

SCHOL.

Haud abs re fuerit hoc loco Priscilliani ejusq; asseclarum conatus & fœdos exitus commemorare. *Gnosticorum sectam (cujus semina a* Marco *quodam* Ægyptio, *Basilidis discipulo, primum parsa fuerunt, Hadriano imperante)* Priscillianus *in Hispania circa annum* 383. *excitavit. Fuit is homo copiosus, & generis nobilitate clarus, in ea Hispaniæ parte natus, cui Calaciæ nomen est. Inerant præterea multa animi & corporis bona: sed has virtutes non minora vitia fœdabant; inquies animus & turbulentus, atque ex profana scientia mentis elatio. Ingenii dexteritate & accommodatis ad tempus officiis,* Instantium & Salvianum *Episcopos sectæ suæ conciliavit. Hos Idacius Emeritæ Præsul, S. Hieronymi laude nobilis,* Agidini *Cordubensis Episcopi monitu, exagitandos cum suscepisset, vulnus recruduit: latiusque serpsit malum, quod contrectatum cautius fortassis curationem admisisset. Ad illud extremum & ultimum deventum, ut in conventu Episcoporum Cæsaraugustæ habito, ea de causa, utrique in re præsenti disceptarent. Sectarii die dicta cum venire recusassent, anathemati subjecti* Instantius & Salvianus *Præsules, e populo* Elpidius & Priscillianus, *& cum his* Agidinus *Cordubensis Episcopus mutata voluntate, ex inimico repente hæreticorum socius factus.* Ithacio Sossunobensi (*sic Severus Sulpitius vocat*) *Episcopo sententiæ promulgandæ cura demandata, ardenti homini atque procaci: qui jejuniis aut lectioni sacræ deditos, quasi Priscilliani sectatores, palam accusaret. Hujus atque Idacii diligentia, a Gratiano*

Imp.

Imp. tum ſuperſtite impetratum, ut hæreticos templis, urbibus totaque provincia expelli mandaret. Inſtantius & Salvianus, atque cum his Priſcillianus, interim Abulenſis Epiſcopus, ſectatorum ope creatus, Romam præſidii cauſſa contendentes, & in Aquitania ſubſiſtentes, non paucos eo in tractu, ad ſectam ſuam traxerunt. Romam appulſis Damaſi *Pontificis coveniendi poteſtas non eſt facta; ac ne* Ambroſius *quidem Mediolani eorum vocibus aures præbuit: ad novi dogmatis inſolentiam cunctis exhorrentibus. Non remittunt tamen: corrupto officiorum Magiſtro Macedonio, a Gratiano impetratum, ut priore edicto inducto, ablata eccleſiæ Priſcilliano atque Inſtantio redderentur: nam Salvianus Romæ diem obierat. Ab eo ſucceſſu Gnoſticorum audacia confirmata:* Ithacius *ſeditionis lege poſtulatus, atque a Voluentio Vicario ad necem quæſitus, ad Gregorium Præfectum prætorii in Galliam confugit. Eo parum opis ferente, Maximum Imp. adiit, ab eoque Treveris impetratum, cognitionem Burdigalæ in Epiſcoporum conventu inſtaurari. Eo venire compulſi ſunt Priſcillianus atque Inſtantius: a Priſcilliano, cum ſocius gradu dejectus eſſet, ad Maximum provocatum: factumque Epiſcoporum inconſtantia, ut ad Imperatorem devolueretur cauſſa, novo ad eam diem exemplo, judicem profanum de hæreticis judicare. Ceterum cauſſa Treveris agitata, atque urgente Ithacio capitale ſupplicium* Priſcillianus *ſubiit; maleficii convictus, atque nocturnos conventus cum fœminis, religionis ſpecie, agitaſſe. Interfecti præterea* Feliciſſimus & Armenius, *tum* Latronianus *ſeu* Matronianus, *fœdo exitu nobilior quam pangendis carminibus.* Inſtantius *ultra Britanniam in inſulam deportari juſſus eſt. Priſcilliano occiſo, ſecta non modo non eſt repreſſa, ſed latius etiam propagata. Cæſorum corpora, in Hiſpaniam delata, a ſectatoribus, martyrum inſtar, honorata ſunt.* Itachius & Idacius *ſolum exilio vertere compulſi; quod iis agentibus hæretici eſſent trucidati.* Sic fere Mariana lib. 4. De rebus Hiſpaniæ cap. 20. *An.* 389.

Cæterum Iſidorus tradit, Priſcillianum Gnoſticorum & Manichæorum erroribus mixtum dogma compoſuiſſe. Auguſtinum lib. de hæreſibus cap. 70. lege.

CAP. CXXII.

MATRONIANUS, provinciæ Hiſpaniæ, valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, cæſus eſt & ipſe Treveris cum Priſcilliano, Feliciſſi-

ciſſimo, Juliano, Euchrotia, ejuſdem factionis auctoribus. Exſtant ejus ingenii opera, diverſis metris edita.

SCHOL.

Matronianus] ſeu Latronianus, ſædo exitu nobilior fuit, quam pangendis carminibus: quamvis in aliquo poëtarum numero ſua ætate fuerit: ut Mariana lib. 4. cap. 20. loquitur.

CAP. CXXIII.

TIBERIANUS Bæticus, ſcripſit pro ſuſpicione, qua, cum Priſcilliano accuſabatur hæreſeos, apologeticum tumenti compoſitoque ſermone: poſtea poſt ſuorum cædem, tædio victus exilii, mutavit propoſitum, & juxta ſanctam Scripturam, canis reverſus ad vomitum ſuum, filiam devotam Chriſto virginem, matrimonio copulavit.

CAP. CXXIV.

AMBROSIUS, Mediolanenſis Epiſcopus, usque in præſentem diem ſcribit: de quo, quia ſupereſt, meum judicium ſubtraham, ne in alterutram partem, aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.

SCHOL.

S. Ambroſius, an. 374. aut 375. die 7. Decembris Mediolano datus Epiſcopus, deceſſit Honorio IV. & Eutychiano Conſulibus (hoc eſt, Chriſti anno 398) ſi Marcellino credimus. Alii ejus obitum ad annum ſuperiorem referunt. Ambroſii opera omnia exſtant Romæ & Lutetiæ 1586. typis evulgata. Quæ porro ſint genuina, Bellarminus lib. de Script. eccleſ. breviter explicat.

CAP. CXXV.

EVAGRIUS Antiochiæ Epiſcopus, acris ac ferventis ingenii, cùm adhuc eſſet presbyter, diverſarum hypotheſeon tractatus mihi legit, quos necdum edidit: vitam quoque beati Antonii de Græco Athanaſii in ſermonem noſtrum transtulit.

SCHOL.

SCHOL.

Labuntur Sixtus Senensis & Trithemius, dum Evagrium Episcopum Antiochenum, & Evagrium monachum S. Macarii Ægypti discipulum, Origenistam, confiant in unum. Ex his *Evagrius Antiochenus*, ante Episcopatum, hoc est, cum adhuc essent presbyter, vitam S. Antonii, ab Athanasio Episcopo Alexandrino Græce scriptam, Latine reddidit: exstatque tom. 1. in Vitis Patrum, a Moreto 1628. Antverpiæ editis, cum Notis Heriberti Rosweidi. *Evagrii monachi* (quem vulgus Ponticum, Hieronymus Hyperboritam vocat) scripta Gennadius cap. 11. enumerat. De tertio *Evagrio* idem Gennadius cap. 50. & ex eo Honorius cap. 50. agunt. Quartus Evagrius sit nobis *Evagrius Scholasticus*, qui, post Socratem & Theodoretum, Historiam ecclesiasticam libris sex, usque ad annum circiter Christi 595. Græco sermone deduxit.

CAP. CXXVI.

AMBROSIUS Alexandrinus, auditor Didymi, scripsit adversum Apollinarium volumen multorum versuum de dogmatibus, & ut ad me nuper quodam narrante perlatum est, commentarium in Job: qui usque hodie supereſt.

SCHOL.

Ambrosii Alexandrini & Trithemius meminit. Scripsit autem adversus Apolinarium, sive, ut in quibusdam mss. codicibus legitur Apollinarem. Vide quæ supra cap. 120. de diversis Apolinariis diximus.

CAP. CXXVII.

MAXIMUS Philosophus, natus Alexandriæ, Constantinopoli Episcopus ordinatus est, & pulsus, insignem de Fide adversus Arianos scripsit librum; quem Mediolani Gratiano Principi dedit.

SCHOL.

De Maximo Episcopo CP. & Trithemius agit lib. de Script. eccl.

CAP. CXXVIII.

GREGORIUS NYSSENUS Episcopus, frater Basilii Cæsarienſis, ante paucos annos mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros; qui & multa alia ſcripſiſſe & ſcribere dicitur.

SCHOL.

Gregorius Nyſſenus, S. Baſilii Cæſarienſis, ſupra cap. 116. laudati, frater, à Valente Imp. pulſus, octo circiter annis pro Fide catholica exulavit. Vivebat adhuc 14. Theodoſii Imp. anno (hoc eſt Chriſti 392.) ut hic Hieronymus teſtatur. Opera ejus Græco-Latine 1615. Pariſiis ſunt excuſa: ex quibus genuina quæ ſint, Bellarminus in Catalogo te docebit.

CAP. CXXIX.

JOANNES Antiochenæ eccleſiæ presbyter, Euſebii Emiſeni Diodorique ſectator, multa componere dicitur, de quibus περὶ ἱερωσύνης tantum legi.

SCHOL.

S. Joannis Chryſoſtomi, ex presbytero Antiocheno Episcopi Conſtantinopolitani, opera Nortoni in Anglia tomis octo 1615. ſunt edita. Tomi autem ſex Græco-Latine, ſtudio Frontonis Ducæi, S. I. Theologi, nobis olim amiciſſimi, Lutetiæ prodierunt.

CAP. CXXX.

GELASIUS Cæſareæ Palæſtinæ, poſt Euzoium, Epiſcopus, accurati limatique ſermonis, fertur quædam ſcribere, ſed celare.

SCHOL.

De duobus Gelaſiis, Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopis, Photius in Bibliotheca cod. 88. & 89. conſuli poterit; & ibidem Andr. Schottus in Scholiis. Vide item Baronium in geſtis anni 496. & Bellarminum in Catalogo. Gelaſius ſenior, qui Euzoio in Cathedra Cæſarienſi ſucceſſit, & hic ab Hieronymo memoratur, Ruffini libros duos, Hiſtoriæ Euſebianæ adjectos, Græcè vertit, & Præfationem ſuam præfixit: ut Photius cod. 89. tradit.

Gelaſius junior, Cycici natus, ſcripſit Hiſtoriam de Actis Nicenæ Synodi, libris tribus comprehenſam, quæ Græco-Lati-

na

na exstat tomo 1. Conciliorum generalium, 1608. Romæ editorum. In præfatione testatur se vixisse tempore Basiliſci tyranni, hoc est, circa Christi, 476. annum. Ejusdem putatur esse liber *de duabus naturis Christi contra Eutychen*, Gelasio Papæ adscriptus.

CAP. CXXXI.

THEOTIMUS, Scythiæ Tomorum Episcopus, in morem dialogorum, & veteris eloquentiæ breves commaticosq; tractatus edidit. Audio eum & alia scribere.

CAP. CXXXII.

DEXTER Paciani, de quo supra dixi, filius, clarus apud seculum, & Christi fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam necdum legi.

SCHOL.

Flavius Lucius Dexter, S. Paciani Barcinonensis Episcopi, supra cap. 106. memorati, filius, fuit Præfectus prætorio: ut ex Sophronio, interprete Græco, cognosci datur. Huic Dextro librum suum de viris illustribus S. Hieronymus dicavit: ut Baronius ad an. 388. & alii censent. Fragmentum Chronici seu Historiæ omnimodæ, nomine Dextri 1619. Cæsar-Augustæ, & alibi postea prodiit, cum Chronico *Marci Maximi*, & Additionibus *Braulionis* & *Helecæ*, Episcoporum Cæsar augustanorum. Sed eruditis hæc fragmenta videntur ejusdem farinæ cum Berosо Annii Viterbiensis. His de rebus plura qui volet, Pennottum in Canonicorum regularium Historia lib. 1. cap. 52. & alios consulat.

CAP. CXXXIII.

AMPHILOCHIUS, Iconii Episcopus, nuper mihi librum legit de Spiritu sancto, quod Deus, & quod adorandus, quodque & omnipotens sit.

SCHOL.

S. Amphilochius, Iconii in Lycaonia Episcopus, à S. Hieronymo, epistola ad Magnum, cum Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno comparatus, præter librum *de Spiritu sancto*, hoc capite memoratum, scripsit & *Homilias*, a Theodoreto non semel citatas. In Vitis patrum lib. 1, & alibi, sub nomine Amphilochii, legitur vita

vita S. Basilii Magni: sed eam esse suppositiciam & in multis falsam, Baronius in gestis anni 378. & Bellarminus in Catalogo prorsus convincunt.

CAP. CXXXIV.

SOPHRONIUS vir apprimè eruditus, laudes Bethlehem adhuc puer, & nuper de subversione Serapis insignem librum composuit; de virginitate quoque ad Eustochium, & vitam Hilarionis monachi, opuscula mea, in Græcum eleganti sermone transtulit. Psalterium quoque & Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus.

SCHOL.

Sophronius, æqualis sui, S. Hieronymi opuscula varia in Græcum transtulit; in his librum de scriptoribus ecclesiasticis, qui tomo 1. operum S. Hieronymi Græcè exstat. Alius ab isto, & quidem ætate posterior, fuit *S. Sophronius*, Hierosolymitanus Episcopus, cujus anniversaria memoria à Latinis & Græcis XI. die Martii agitur: ut ex Martyrologio Rom. & Menologio Græco constat. Floruit hic anno 634. sub Imp. Heraclio.

CAP. CXXXV.

HIERONYMUS patre Eusebio natus, oppido Stridonis, quod a Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, usque in præsentem annum, id est, Theodosii Principis decimum quartum, hæc scripsi: Vitam Pauli monachi. Epistolarum ad diversos librum unum. Ad Heliodorum exhortatoriam. Altercationem Luciferiani & orthodoxi. Chronicon omnimodæ historiæ. in Hieremiam, & in Ezechielem homilias Origenis viginti octo, quas de Græco in Latinum verti. De Seraphim, Osanna, & de frugi & luxurioso filiis. De tribus quæstionibus legis veteris; Ho-

Homilias in Cantica Canticorum duas. Adversus Helvidium de virginitate Mariæ perpetua. Ad Eustochium de virginitate servanda. Ad Marcellam epistolarum librum unum. Consolatoriam de morte filiæ ad Paulam. In epistolam Pauli ad Galatas commentariorum libros tres. In epistolam ad Titum librum unum In epistolam ad Philemonem librum unum. In Ecclesiasten commentarios. Quæstionum Hebraicarum in Genesim librum unum. De locis librum unum. Hebraicorum nominum librum unum. De Spiritu sancto Didymi, quem in Latinum transtuli, librum unum. In Lucam homilias triginta novem. In Psalmos, à decimo usque ad decimum sextum, tractatus septem. Malchi, captivi monachi, vitam, & beati Hilarionis. Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi: vetus juxta Hebraicam transtuli. Epistolarum autem ad Paulam & Eustochium, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. Scripsi præterea in Michæam explanationum libros duos. In Sophoniam librum unum. In Nahum librum unum. In Habacuc libros duos. In Aggæum librum unum. Multaq; alia de opere prophetali, quæ nunc habeo in manibus, & necdum expleta sunt. Adversus Jovinianum libros duos, & ad Pammachium Apologeticum & Epitaphium.

SCHOL.

S. Hieronymus, in oppido Stridone natus, anno Christi 420. ætatis 91. pridie Kalendas Octobris decessit: ut Prosper in Chronico ait. Sed Baronius non nisi 78. vel 79. annos ipsi tribuit. Opera ejus omnia, quæ reperiri potuerunt, Marianus Victorius Reatinus, Episcopus Amerinus, ad fidem veterum mss. exemplarium recensuit, & scholiis illustravit. Exstant Romæ 1565. &

1572. à Manutio, item Antverpiæ 1570. à Plantino, & postremo Lutetiæ 1609. typis evulgata. In Parisiensi editione, præter Græcam Sophronianam interpretationem libri de Scriptoribus ecclesiasticis, accesserunt *Henrici Gravii* Notæ in epistolas, itemque variorum locorum ex mss. codicibus emendationes. Quæ porro singulis in tomis sint legitima Hieronymi opera, quæ dubia aut suspecta, Sixtus Senensis, Canus, Baronius, Bellarminus, Possevinus & alii fusè explicant.

Quod ad vitas patrum, *libris X. comprehensas, quas vulgus S. Hieronymo solet adscribere, attinet, hæc accipe. Eas secundo Heribertus Rosweidus, S. I. Theologus Antverpiæ typis Plantinianis, cum Notationibus, 1628. evulgavit. Libri primi auctores sunt varii: quidam certi, quidam incerti. Certi auctores, suarum singuli Vitarum, sunt isti:*

I. Hieronymus, *auctor vitarum Pauli primi eremitæ, Hilarionis anachoretæ, Malchi monachi captivi, Fabiolæ, Paulæ, Marcellæ, Romanarum viduarum. II.* Athanasius *Alexandrinus Episcopus, auctor vitæ S. Anthonii. III.* Paphnutius, *auctor vitæ S. Onuphrii eremitæ. IV.* Ephræm *Syrus, diaconus Edessenus, auctor vitæ S. Abrahæ eremitæ, & Mariæ meretricis, ejus neptis. V.* Antonius, *scripsit vitam magistri sui S. Simeonis Stylitæ. VI.* Leontius, *Neapolis Cypriorum Episcopus, auctor vitæ S. Ioannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini. VII.* Ioannes Damascenus, *auctor vitæ SS. Barlaami & Josaphati. VII.* Iacobus *diaconus Edessenus, auctor vitæ S. Pelagiæ meretricis. IX.* Sophronius *Episcopus Hierosolymitanus, auctor vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ meretricis. X.* Theophilus, Sergius & Hyginus *scripserunt vitam S. Macarii Romani. Præter enumeratas vitas, in libro primo de vitis Patrum exstant & aliæ Sanctorum vitæ, auctoribus incertis; ut S. Basilii Cæsariensis Episcopi, S. Pachomii Abbatis Tabennensis in Ægypto, SS. Epicteti presbyteri & Astionis monachi, S. Frontonis Abbatis SS. Eugeniæ, Euphresiæ, Euphrosinæ, & S. Marinæ, virginum, item S. Thaisis meretricis.*

Secundi & tertii librorum de vitis Patrum auctor vel interpres fuit Ruffinus *Aquileiensis presbyter. Quartus liber excerptus est ex* Seve-

sexto

ri Sulpicii *dialogo primo, & ex* Ioannis Cassiani *Institutis ac Collationibus. Quinti & sexti librorum auctorem fuisse Græcum aliquem, constat ex Photio, qui in Bibliotheca cap. 198. narrat, Græcum exemplar à se lectum fuisse. Nomen auctoris tamen non exprimit, quod hodieq; ignarotur; quidquid aliqui divinarint. Certum porro est, librum cujus Photius Græce suo tempore exstantis meminit, hunc eumdem esse, quem Latinè habemus, translatum partim à* Pelagio *S. R. E. diacono, libro quinto de vitis PP. partim à* Ioanne *S. R. E. subdiacono, libro sexto. Atq; hunc quidem librum, qui apud Græcos & Latinos unicus est, Heribertus Rosvveidus in duos distinxit; ita præeunte Sigeberto Gemblacensi, cap. 116. & 117. de viris illustribus. Georgius Garnefeltius censet, Pelagium & Joannem postea Romanos ex ordine pontifices fuisse. Pelagius an. 559. Joannes eo nomine III. Papa an. 572. obiit.*

Septimi libri auctor similiter fuit Græcus, sed cujus nomen nondum à quoquam est proditum. Hunc librum Paschasius *diaconus Latinitate donavit; rogante Martino Abbate Dumiensi, post Episcopo Bracarensi: qui Martinus circa annum 580. vivere desiit.*

Octavum librum de vitis Patrum Græcè scripsit Palladius. *Heleno-poleos in Cappadocia Episcopus, quem Gentianus Hervetus, Canonicus Remensis, Latinum fecit. Hic liber vulgo* Historia Lausiaca *dicitur eo, quod ad Lausum Præpositum à Palladio sit scripta. Rosvveidus in appendice ad vitas Sanctorum antiquam quoq; Lausiacæ versionem, ab incerto sed vetere interprete factam, subtexuit: & Fronto Ducæus ejusdem Lausiacæ Græco-Latinam editionem, ex ms. codice Regio Parisiis publicandam curavit. Notet autem Lector, Palladium fuisse Origenistam & Pelagianum; ideoq; caute legendum.*

Noni libri (qui vulgo Philotheus *dicitur) auctor fuit* Theodoretus *Cyri Episcopus; primum ab Alberico Longo Salentino, post à Gentiano Herveto Latina civitate donatus. Decimum librum Græce scripsit* Ioannes Moschus *seu* Eviratus, *ad Sophronium Hierosolymitanum Episcopum: ideoq; inscribitur* Limonarium Sophronii, *seu* Pratum spirituale, *vel* Paradisus novus: *ut Photius in Bibliotheca cod. 19. narrat. Hujus libri interpres fuit Ambrosius Camaldulensis monachus.*

Istis decem libris Rosvveidus, præter antiquam Historiæ Lausiacæ interpretationem, paulo ante memoratam, attexuit Heraclidis Paradisum, *incerto sed vetere interprete; &* Ægyptiorum Patrum sententias, *auctore Græco incerto, sed vetere; interprete autem Martino Dumiensi seu Bracarensi. Ex his Paradisus Heraclidis magna pars est Palladianæ seu Lausiacæ Historiæ.*

IN